[illegible]
Barth[illegible]

ACTA

PETITIONIS, DECRETI, ELEVATIONIS, Recognitionis, Ostensionis, Repositionis, Translationis, Restitutionis, & Consignationis Sacri Corporis

GLORIOSISSIMI APOSTOLI

S. BARTHOLOMÆI

In nova Basilica Beneventi eidem erecta

IN SACRO

CONCILIO PROVINCIALI II.

Anno Domini 1698.

PRÆSIDE EMINENTISSIMO

CARDINALI URSINO

ARCHIEPISCOPO METROPOLITA

Typis data Instantibus

ILLUSTRISSIMIS CONSULIBUS

MAGISTRATUS EJUSDEM CIVITATIS.

S. S. Cir. et Modesti de Urbe Ord. Cist.

BENEVENTI CIↃ IↃC XCVIII.

E' Typographia Archiepiscopali.)(*Superiorum permissu.*

Vidit pro Eminentissimo Archiepiscopo Fr. Jo: Michael de Cavaleriis S. Theologiæ Magister Ordinis Prædicatorum.

Imprimatur die 7. Junii 1698.

FR. VINCENTIVS MARIA CARD. ARCHIEP.

AD LECTOREM

Amice Lector, exultantis animi indoles ea est, ut ingentis gaudii rationem, non præ oculis dumtaxat habere, ac mente continenter revolvere, verùm etiam aliis perspectam esse, atque exploratam vehementer exoptet. Mulier, quæ drachmam amiserat, ut Evangelica pagina testatur, tanta prægestiit lætitia, ubi primùm deprehendit numisma suum; ut non in sinu solùm secummet ipsa gauderet; sed ab aliis etiam lætabunda gratulationis officium exposceret, liquidissimæ voluptatis scatebram ostentando. Nemo unus est, qui ignoret, quanto exultarit gaudio Samnium, ubi licuit jam S. Bartholomæi Apostoli præsignis sui Tutelaris Corpus vel ipsis oculis usurpare. Quia tamen in Urna porphyretica clausum, iterùm oculis se subduxit; ut tanti gaudii monumentum non lateret in Tabulario, sed præ manibus haberi ab omnibus posset, ac in medium proferri, Samnites summoperè exoptarunt exemplaria Actorum in nupera Provinciali Synodo ab Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinali Ursino vigilantissimo nostro Archiepiscopo Metropolita diebus XI. XII. XIII. XIV. & XV. Maji decurrentis anni 1698. quæ ad Elevationem ejusdem Sancti Corporis, Recognitionem, Ostensionem, Repositionem, in recentem Basilicam Translationem, ac Restitutionem spectant.

Quapropter Illustris. Consules hujus Urbis Beneventanæ à Dominis, qui à Secretis fuerunt in hac secunda ejusdem Metropolitæ Provinciali Synodo enixè harum omnium Actionum exemplaria publica auctoritate firmata expostularunt, ut

iis evulgatis Samnii lætitia longè, latèque diffunderetur. Quibus humanissimè obtentis, jussit extemplò Magistratus omnia, & singula isthæc acta, perenni luce dignissima, typis mandari, ut præ manibus haberi possint, & altè omnium mentibus facinorum adeò illustrium memoria insideat; utque Orbi Universo Cœlestis hic thesaurus Beneventi reconditus innotescat, ac tanti Patroni accidentalis gloria in dies semper augeatur.

Equidem imperatis Consulum Illustrissimorum obtemperans, Libellum hunc, ea omnia perstringentem, Tibi Sancti Apostoli obsequentissimo obtuli libentissimè; in quo præmittitur Libellus supplex ad Jurisperitorū normam eruditissimè elucubratus, quo Patres de causæ meritis fuerunt edocti; ac deindè Decretum adnectitur ab iisdem Patribus latum die decima Maji in publica Congregatione Synodali de Elevatione Sancti Corporis, Recognitione, Nova Repositione, ac Restitutione facienda. Postmodum subsequuntur sex monumenta publica auctoritate firmata; primum scilicet Elevationis; secundum, Ostensionis Sacrorum Lipsanorum; tertium, Anatomicę Specificationis, ac Nominationis eorundem; quartum, iteratæ Ostensionis populo factæ; quintum, Alligationis schedularum capsulis vitreis, in quibus summatim ossa in singulis contenta adnotantur; sextum, Translationis, & Consignationis ejusdem Corporis. Quibus adjicitur Bulla hac de re edita ab Eminentissimo Metropolita de consensu, & assensu Patrum ad perenne monumentum; ac postremò Methodus Ritualis ad amussim servata in omnibus hisce functionibus, ac in similibus servanda. Vale & Deo, ac D. Bartholomæo gratias age.

Petrus Paulus de Curia Communitatis Secretarius.

SANCTISSIMIS PATRIBUS
IN CONCILIO PROVINCIALI CONGREGATIS

Supplex libellus pro restitutione, & translatione Sacratissimi Corporis S. Bartholomæi è Metropolitana ad novam ejusdem gloriosissimi Apostoli Basilicam.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. DOMINE METROPOLITA PRÆSES,

Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Episcopi.

SUpplicant humillimè Capitulum vestræ Metropolitanæ Ecclesiæ, Dignitates, ac Canonici Collegiatę Ecclesię Divi Bartholomæi Apostoli, nec non Magistratus hujus Civitatis, dicentes, quod cum Sacrum Corpus præfati Apostoli, in Urbe Albani majoris Armeniæ martyrium passi, ad Liparam Insulam translatum fuisset, ibique asservaretur, loco ipso à Saracenis circa annum 838. occupato, nefaria impietate, ejusdem sacra ossa ab urna, in qua custodiebantur, extracta, & dispersa fuerunt. Admonitus tamen Theodorus Monachus per quietem à Sancto, singulari splendore micantia ossa ipsa invenit, & in unum collegit; ac paulò post ipso cum Custode à Sicardo Samniticæ classis Principe primò Salernum, deindè ad hanc Civitatem fuerunt translata, ut in confesso est apud omnes historicos (licèt solùm discrepent in nota temporis) & in particulari Capella in ista Metropolitana ab ipso Sicardo incepta, & posteà ab Urso Beneventano Pontifice perfecta, die 25. Octobris anni 839. recondita fuere solemni pompa, & concursu; in cujus memoriam anniversaria durat celebritas; nàm concursu, & publica prece finitimarum gentium ea die celebratur Synodus Diœcesana, ex hoc nuncupata: *delle Litanie*. In cælicum hunc Thesaurum Otho III. Imperator exarsit; nàm in anno *millesimo*, visitaturus sacram Basilicam Divi Michaelis in Monte Gargano hùc Beneventum venit; & eadem via regressus, sacrum ipsum Corpus à Beneventanis petiit, qui, magnæ illius potentiæ resistere non valentes, communicato consilio cum tùnc Beneventano Pontifice, devoto dolo corpus S. Paulini pro illo S. Bartholomæi consignarunt, quod sub tali opinione Romam asportatum,

Translatio Lipari Beneventum.

Otho petit sacrum corpus.

Datur corpus S. Paulini.

tum,

rum, in Ecclesia in Insula Tiberina fuit reconditum; & sub tali suppositione ibi colitur.

Pius autem, sanctusque iste Beneventanorum dolus manifestus fit ex inconcussis, apertisque documentis infra notandis.

Otho deceptus indignatur in Beneventanos.

Sufficeret autem ex confessione ipsius Othonis, facto demonstrata, istum dolum pro comperto habere; nam postquam se à Beneventanis illusum agnovit, hanc Civitatem Beneventi magno exercitu obsedit; & dirè oppugnavit; licèt, Dei ope, sinè victoria, ut legitur in *Chron. Cassin. Leonis Card. & Epis. Ostiensis lib.2.c.24.* quod quidem non fecisset, si veritas donativi concurrisset; beneficus enim, non ingratus esse debuisset; nàm ingratitudo, quæ in privata persona non præsumitur, *Aut. ut cum de appell.§.causas,* in Principe repugnat.

Proponuntur probationes super permanentia sacri corporis.

Veritatem nihilominùs istam stabiliunt historiæ antiquæ, sanctorum facta, Romanorum Pontificum Constitutiones, antiquorum Archiepiscoporum Beneventanorum, ac Regis Regni Neapolis testimonia, quæ summatim hic adducere libet; nàm plena manu habentur in *dissertatione* de hac re typis Beneventi anno 1695. data, quæ ad manus Patrum dabitur.

§. I.
Historicorum authoritas.

Card. Ostien. anno 1087. scripsit hac de re veram historiã.

1 HUjus rei veridicum testimonium præbet *Leo Marsicanus Episcopus. & Cardinalis Ostiensis*, qui ad veterum illius Abbatiæ instrumentorum fidem circà annum 1087. scripsit *Chronica Cassinensia*; & *lib.2.cap.24.* memoratum factum de sancto Beneventanorum dolo refert; cujus fidem sequendam esse scribit *Cardinalis Baronius*, à quo anno 1059. *nu.* 1. & anno 1077. *n.23.syncera veritatis scriptor vocatur*; eò maximè, quia primus, & quasi contemporaneus ea de re scripsit; *Paulus de Rubeis* olim in alma Urbe Promotor fidei *apud Illustriss. Episcopum Mattam de Canon.Sanct. p.4. c. 24. nu. 20.* Imò memorato anno 1080. præerat Abbas Monasterio ipsi *Joannes* nobilis familiæ Beneventanæ, qui vel testis ocularis esse potuisset, vel à suis Civibus audire, & factum tàm memorabile vel ipse, vel ejus Monachi Benevento vicini in scripturis dicti Monasterii, ex quibus Chronica desumpsit *Ostiensis*, registrare potuissent. Cui Episcopo, & Cardinali fidem in hoc minimè detraxit *Matthæus Lauretus*, qui Chronica ipsa à dicto Cardinali edita revisit, comprobavit, vel emendavit. Nec *Archiepiscopus de Nuce*, qui ipsius *Laureti* scripta oppugnare conatus fuit, de facto isto dubitavit; adeò ut convallata undique fides ipsius *Cardinalis Ostiensis* appareat, quia ejus assertio in trutinam posita fuit, & de ea non fuit dubitatum; & intrat alia regula firmata apud eundem *Mattam loco cit.* quod

Comprobatur Ostien. à Laureto, & Archiep. de Nuce.

quan-

quando sunt plures historici concordes, danda est eis fides. Et immemorabile Festum, quod singulis annis sub die 4. Septembris celebratur Beneventi, & nuncupatur *di S. Bartolomeo in Cava*, comprobat repositionem dicti S. Corporis à Beneventanis factam in cava ejusdem Ecclesiæ, ut sacrum Corpus lateret; observantia enim, & maximè immemorabilis, dat fidem gestis antiquis, *Rota apud Coccin. decis. 747. n. 3.*

Alphanus III. Archiep. Benev. donavit an. 1016. brachium S. Bartholomæi Reginæ Immæ.

II. De facto isto testis, ne dum scriptor est *Eadmerus* Anglicus, qui in sua historia scripta circa annum 1090. & iterum typis data à *Gabriele Gerberonio Parisiis cum operibus S. Anselmi*, testatur se audivisse à gravissimis Sacerdotibus Ecclesiæ Cantuariensis, & signanter ab *Eduvio, Blacbemando, & Farmando*; quod *Alphanus III.* Archiepiscopus Beneventanus, Regnante Regina Imma, circa annum 1017. cum certis præsagiis novisset immanem famem totam Apuliam fore afflicturam, Angliam venit secum deferens brachium S. Bartholomæi, asserens, quod *brachium ipsum in ipsa Ecclesia Beneventi à reliquo corpore servabatur remotum*; & illud dedit Reginæ prædictæ in Ecclesia Cantuariensi, adstante ipsa, Monachorum quoque, ac Clericorum immenso agmine, inter quos memorati Viri, à quibus *Eadmerus* acceperat, numerosaque utriusque sexus, & ætatis multitudine, & jurejurando super altare, & Corpus Christi, nec non SS. Reliquias asseveravit, ipsum Os B. Bartholomæi Apostoli proprium fuisse; & ex tunc *Egelnothus* Pontifex Cantuariensis donavit præfato Pontifici Beneventano cappam valde pretiosam aurifrigio ornatam; qua posteà *Roffridus* successor Archiepiscopus Beneventanus usus fuit in Concilio generali sub Urbano II. Barii anno 1098. celebrato; & *Eadmerus* ipse Concilio præsens, Antistitem Beneventanum cappa reliquis præstante, ornatum vidit; & cappam, & verba ipsi puero jam prius dicta, Patri Anselmo Episcopo Cantuariensi interessenti retulit, & designavit: ac celebrato Concilio, de eadem cappa cum Pontifice Beventano locutus fuit, qui eam, ordine descripto suam Ecclesiam ab Ecclesia Cantuariensi adeptâ esse declaravit. Cui scriptori fides danda est, quia est Regni extranei, & ea in re nullo pacto interessatus; & pro scriptore fidei probatæ laudatur à gravibus authoribus, & signanter *à Guglielmo Malmesburgen.* Ex cujus *Alphani* Archiepiscopi relatis verbis: *idem quippè brachium in ipsa Ecclesia Beneventi à reliquo corpore servabatur remotum*, clarè colligitur, quod reliquum corpus B. Bartholomæi asservabatur in Ecclesia Beneventana; nàm ly: *reliquum*, determinat æqualiter brachium, & totum corpus; & quæ dicuntur de parte reliqua, intelliguntur etiam de toto, *Menoch. cons. 1020. n. 39.* & in materia sacrarum reliquiarum statur attestationi Episcopi, *Fagn. in cap. cum ex eo n. 6. de Reliquiis, & veneratione Sanctorum.*

III. Con-

Suggerius Abbas an. 1122 Roma venit Beneventum, visitans sacrum corpus.

III. Convallat hanc veritatem *Suggerius Abbas Monasterii S. Dionysii*, qui post dissolutum Concilium Lateranense anno 1122. Roma reversus, venit ad diversa sanctuaria hujus Regni, ut scripsit ipsemet Suggerius in vita Ludovici Crassi, & testatur, se venisse hùc Beneventum, & visitasse corpus B. Bartholomæi; & quia non actus, sed causa actus est attendenda, *Rota apud Coccin. decis.* 134. *n.* 1. & posterior actus ostendit mentem agentis in actibus præcedentibus, *Rota apud eundem decis.* 1609. *n.* 7. dicendum est per necesse, quod Abbas iste habuit pro vero sacrum hoc corpus non adesse Romæ, quia visitasset ibi, sed adesse hic Beneventi, quò venit ad visitandum, & Author iste est singularissimæ authoritatis, nàm fuit persona ad Concilium generale Lateranense accita.

Imp. Florida an. 1137. venit Benev. ad pariter visitandum.

IV. Imperatrix *Florida* Lotarii Imperatoris uxor voluit anno 1137. Beneventum venire, & visitare Corpus B. Bartholomæi, teste *Falcone* scriptore probatissimo, & à secretis Inn. PP. II. ut in *Chron. Beneventanis* habetur, qui & interfuit. Nec Augustissima hæc persona, nec summæ eruditionis viri, qui similibus supremis Personis assistere solent, reliquissent suggerere Imperatrici veritatem. Nàm si pro vero habitum fuisset, quod Corpus B. Bartholomæi Romæ habebant, cur illud Beneventi quæreret? & hic applicantur jura n. III. expressa.

B. Jacobi de Voragine Archiep. anno 1292. testimonium.

V. Testatur de hac veritate existentiæ Corporis B. Bartholomæi in hac Metropolitana Ecclesia *B. Jacobus à Voragine Ordinis Prædicatorum Archiepiscopus Januensis*, qui floruit anno 1298. & in *Legendario Sanctorum abbreviato* affirmat quamplurima in sepulchro S. Bartholomæi miracula Beneventi perpetrari; cui, tanquam Pontificali dignitate suffulto, fides indubia dari debet, *Gabriel lib.* 1. *tit. de prob. concl.* 3. *nu.* 8. quia est omni exceptione maximus.

S. Birgitta an. 1372. visitat sacrùm Corpus Beneventi.

VI. Sancta *Birgitta* ex divina inspiratione anno 1372. Neapolim venit visitans sanctuaria Regni, & Beneventi visitavit Corpus Beatissimi Bartholomæi; & plùs probat unum factum, quàm centum jura, *Cardinal. de Luca de emph. disc.* 2. *num.* 3.

S. Antonini *Archiep. Florent. anno* 1459. *testimonium.*

VII. *S. Antoninus* Ord. Præd. Archiepiscopus Florentinus, vita functus an. 1459. *Hist. p.* 1. *tit.* 6. *c.* 12. (qui in Regno Neapolitano, & in Urbe versatissimus erat) ambiguitatem omnem tollit per hæc verba: *Communiter tenetur Corpus ejus haberi Beneventi: licèt & Romani asserant se illud habere*, & testi tàm insigni in doctrina, & sanctitate attestanti de communi credentia est standum, cum etiam in sanctorum canonizatione testibus singularibus (maximè viro sancto, & erudito) fides adhibeatur, quando deponunt de fama sanctitatis in genere *Far. q.* 64. *n.* 66. *de testib.*

Angeli *Catonis anno* 1474. *testimonium.*

VIII. *Angelus Cato* Supinas *in Epist.* nuncupatoria Pandectarum *in medicinam Matthæi Sylvat.* scripta anno 1474. adscribit

scribit summæ gloriæ Ferdinandi I. Regis Neapolis in hoc Regno adesse multa corpora sanctorum, & signanter Beneventi Corpus beatissimi Bartholomæi.

IX. Confirmat plenius quæ diximus *Fr. Robertus Caracciolus de Liccio* Ordinis Minorum *Episcopus Aquinatensis*, qui obijt anno 1495. in *prima parte sermonum de laudibus Sanctorum*, qui sermones fuerunt *impressi Venetiis* apud Bernardinum Benalium anno 1490: nàm in sermone 42. de S. Bartholomæo Apostolo *cap. 2. fol. 135.* hæc habet: *Apparuit Apostolus cuidã Monacho, &c. qui omnia ut dixerat inveniens, Apostoli ossa levavit, & super quandam navim conscendens Beneventum ea transtulit*, & pro vera existentia subjungit: *Gaudeo, ò Beneventana Civitas, ditata tanto munere, &c. non ab re disposuit sapientia Dei, ut ex Liparitana Insula sacrum hoc pignus ad te deferretur*, & hic aptantur jura, quæ diximus num. V. — Roberti *Epis. Aquinatensis, qui obiit anno 1495. testimoniũ.*

X. Zenobius Acciajolus Bibliothecarius Vaticanus sub Leone X. in Oratione recitata Neapoli in comitiis Generalibus suæ religionis Dominicanæ anni 1515. hanc veritatem convallat sub illis verbis: *S. Matthæi Corpus apud Salernum, S. Bartholomæi in Benevento.* — Zenobii *Acciajoli de an. 1515. testimoniũ.*

XI. *Annibal Mascambrunus Episcopus Stabiensis* suas plenas manus dat in testimonium plenissimum prædictis omnibus in *dissertatione* super hoc facto typis data anno 1636. — Annibalis *Mascambruni Episc. Stabien. de an. 1636. testimonium.*

XII. *Ughellius to. 8. Ital. sacr. col. 110.* factum istud in claro ponit; nàm dicit diù se hæsitasse super hoc facto, sed cessisse fidei *Bulla* originalis *Leonis* IX. asserentis Corpus B. Bartholomæi hic Beneventi asservari; & Author iste de rebus Ecclesiasticis tàm apprimè scitus, qui diù noluit suum aperire de hac re sensum, certum est, quod volutaverit omnes sacras historias, & tamen dicit se conformare huic nostræ veritati. Et his Chronistis, qui communi studiosorum calculo per academias jamdiù probantur, & libros, rerum eventus, & circumstantias dijudicant, fidem esse præbendam, habetur apud *Mattam loco cit. n. 21. cum sequentibus.* — Ughell. *Ital. sacra tom. 8. de an. 1662.*

§. II.

Accedunt Sanctorum fasta.

XIII. Comprobant existentiam Corporis B. Bartholomæi Apostoli in hac Civitate Martyrologium editum ab *Usuardo* Monacho S. Benedicti Cœnobii S. Germani Parisiensis alumni in lectione: *IX. Kalendas Septembris.* — *Martyrol. cœnobii S. Germani editum ab* Usuardo.

XIV. Similitèr & aliud martyrologium editum à *Uvandelberto* diacono paritèr Monacho Benedictino in Monasterio Prumiensi Diœcesis Treviren. ibi: *nunc illum, &c. Beneventi & tem-* — *Martyrol. monast. Prumiensis editum à* Vvandelberto.

pla tenere. Et licet isti scripserint ante annum 1000. nihilominus *Joannes Molanus* in expositione facta ad martyrologium *Usuardi in editione Lovaniensi de Anno* 1568. tractavit de martyrio Sancti Bartholomæi, & exscripsit carmina *Vualdelberti*, hoc est: *Beneventi, & templa tenere*; & nihil dixit de asportatione ad insulam Tiberinam; Imò ipse author, asserendo teneri in templo Beneventi, negavit asservari Romæ; cum idem corpus non possit adesse in pluribus locis, *Pacian. de probat. lib. I. cap. 36. n. 19.* & quando tractatur de negatione facti magni momenti, ut est res ista, præsumitur ipse testis benè informatus, idem *Pacian. cap.* 48. *n.* 18. maximè in hoc Authore tam magnæ eruditionis, & prudentiæ.

Joannes Molanus de anno 1568. *confirmat scripta ab Usuardo, & Vvandelberto.*

Martyrol. Adonis Treviren. Archiepisc. de an. 1073.

XV. Eadem fides datur martyrologio *Adonis* Archiepiscopi Trevirensis de anno 1083. in lectione; *Nono Kal. Septembris, celebratur.*

Martyrol. Ecclesiæ Pulsan. de anno 1139.

XVI. Martyrologium Cœnobii *Pulsanensis*, quod m. s. veteri charactere apud Clericos regulares SS. Apostolorum Neapolitanæ Urbis asservatur, ibi: VIII. *kal. Septembris. In India passio S. Bartholomæi qui apud Indiam Christi Evangelium prædicans, decollatione martyrium complevit: hujus Apostoli sacratissimum corpus primum ad Insulam Liparis, deindè Beneventum translatum, pia fidelium veneratione bonoratur.* Quod quidem martyrologium editum fuisse post annum 1000. inde claré colligitur, quod sub XII. *kal Julii* meminit de morte beatissimi Eremitæ Joannis Pulsanen. Ecclesiæ Abbatis, &c. cujus obitus extitit mox citato die sub anno 1139. indict. 2.

Martyrol. Ecclesi. Beneventi. an. 1316.

XVII. Contestatur hanc veritatem martyrologium S. Ecclesiæ Beneventanæ scriptum antiquo charactere more longobardico, ibi VIII. *kal. Septembris natale S. Bartholomæi Apostoli, &c. cujus corpus, &c. Beneventum translatum, pia fidelium veneratione bonoratur.* In quo martyrologio ordinata serie scripta legitur Bulla *Joannis* XXI. in qua præscribitur rubrica de recitatione officii Sanctissimi Corporis Christi; & Pontificis hujus assumptio evenit anno 1316.

Martyrol. Ecclesi. Florentin de an. 1486.

XVIII. Convallat lectio martyrologii Ecclesiæ Florentinæ à Gregorio Antonio Vespucio ejusdem Metropolitanæ præposito emendati, & Florentiæ impressi anno 1486. ibi: IX. *kal. Septembris natale Sancti Bartholomæi Apostoli: hujus Sanctissimum Corpus primò ad Insulam Liparis, deindè Beneventum est translatum, ubi pia fidelium devotione bonoratur.* Ex quibus lectionibus testantibus Sacrum hoc corpus adesse Beneventi, elicitur negativa de existentia Romæ, ex juribus adductis ad n. XIV.

Cum igitur habeamus tot concordes lectiones martyrologiorum in tot diversis Ecclesiis per eorum Antistites longissimo tempore approbatas, plenissimam probationem tenemus; etenim in rebus

rebus antiquissimis, fides est adhibēda Chronistis, & Historicis, quibus communiter fides data fuit à majoribus, ut observarunt *Leo* III. in canonizatione *S. Suiberti, Joan. XV. in canonizatione S. Udalrici, Alex. III. in canonizatione S. Eduardi*, cum aliis exemplis apud Pignat. *t.4.conf.* 42. *n.* 29; & *n.*43. in fine ponit pro regula standum esse historiis approbatis ab Ecclesia.

§. *III.*

Dantur Summorum Pontificum Constitutiones.

XIX. PRimus est *Leo IX.* in constitutione anni 1053, quæ originaliter servatur Beneventi (& sic 53. annis post pium dolum Beneventanorum) ubi confirmans omnes gratias per suos prædecessores Ecclesiæ Beneventanæ factas, eidem subditas fecit Ecclesiam Sipontinam, & S. Michaelis in Monte Gargano, aliasque quindecim Cathedrales; concessitque usum pallii; cujus munificentissimæ concessionis causam sic explicavit: *Huic jam sæpè nominatæ Ecclesiæ Beneventanæ, &c. ubi pretiosissimum Corpus Beatissimi Bartholomæi Apostoli requiescit*; & in fine causam finalem harum concessionum expressit: *Ut Sancta Beneventana Ecclesia, &c. pretiosissimis Sanctorum Corporibus ditata B. Bartholomæi Apostoli, atq. Januarii Mart. & Barbati Confessoris ejusdem sedis Gloriosissimorum Præsulum, ac reliquorum inviolabiliter Apostolicis privilegiis semper maneat dotata.* Assertio autem hæc Papæ motu proprio loquentis de mendacio redargui non potest, *Rota decis.*168.*p.*10.*recent*; quia fuit per modum declarationis positivæ, ut ibi firmatur. Imo expressa fuit pro causa finali privilegiorum Metropolitanæ concessorum per ly *ut*, positum pro ratione constitutionis, *Anellus Amatus conf.*23.*n.*7.& *conf.*17. *nu.*3. Quod si secùs dicere quis vellet, tota corrueret dispositio, & concessio. Et insuper tractatur de veneratione Sacrarum Reliquiarum, in quibus statur authoritati Summi Pontificis, *qui non permittit fideles falsis documentis decipi, ex cap.2.de reliquiis, &c.* Tantò magis, quia Papa, hęc asserens, Beneventi degebat *Cron. Benev. Episc. Sarnelli f.*77.*n.*57. & sic plenè informatus esse potuit, *Rota* apud *Coccin. decis.*1784. *n.*59. Quæ motiva fuerunt tàm valida, ut *Ughellius in Italia sacra to.* 8. *col.*120. fateatur ex his deposuisse suum dubium, & ad ità assentiendum se induxisse. *Testimonium apertum Leonis IX. de an. 1053.*

XX: *Stephanus Papa XI.* alia sua particulari constitutione sub *datum* 24. *Jannarii* 1057. in Monte Cassino (in propinquo cum Civitate Beneventana posito) ad unguem confirmavit constitutionem *Leonis IX.* supèr juribus concessis Archiepiscopo Beneventano, bis replicando, prout fecit *Leo IX.* quod Corpus B. Bartholomæi asservabatur in Cathedrali Beneventana, & *Stephan. IX. an. 1057 idem asserit, & confirmat.*

quod concessio dictorum jurium fiebat pro dote Archiepiscopatus, & Ecclesiæ decoratæ à Sancto Corpore Divi Bartholomæi; & assertiones duorum summorum Pontificum sub iisdem verbis, & de diverso tempore important majorem firmitatem, *Gratian. discept. 651. num. 6.* Tantò magis quia geminatio horum verborum facta fuit à *Stephano Papa* in confirmatione specifica concessionis factæ per *Leonem IX.*, quo casu de erroneitate facti ampliùs opponi non potest *Card. de Luca de regalib. disc. 3. num. 11.*

Bened. XII. *an. 1337. mandat translationē Corporis B. Bartholomæi.*

XXI. Ponitur constitutio *Benedicti XII.* data Avenione sub *die* 4 Maii 1337., qui *Arnaldo de Brusacco* Ordinis minorum Archiepiscopo Beneventano facultatem dedit transferendi Corpus B. Bartholomæi ab Ecclesia Cathedrali (ubi pro perpetuo deposito in translatione ab insula Liparitana repositum extabat) ad aliam Ecclesiam in honorem ejusdem Sancti erectam. Itaut tres Summi Pontifices existentiam ejusdem Sacri Corporis indubitantèr asserant. Et *Arnaldus* ipse Ecclesiam Divo Bartholomæo erectam consecratam voluit sub die 25. *Augusti* 1338., reliquiasque Divi Bartholomæi à Capsula extraxit, & publicè in Synodo ostendit coram Episcopis Provinciæ, & suo publico diplomate ita testatus fuit: *& sub testimonio Dominorum Episcoporum Beneventanæ Provinciæ, publicarum, & aliarum innumerabilium personarum inventum est; & ostensum, cum reverentia debita, transtulimus, & recondidimus;* cui assertioni credendum est; ad Episcopum namque tùm antè, tùm post *Conc. Trident.* spectat Reliquias Sanctorum ab Ecclesia receptorum transferre, & approbare, *Fagnan. in cap. cum ex eo num. 5. 6. cum seq. de Reliquiis, &c.* maximè effectu sequuto; nàm exindè Corpus remansit in Ecclesia Divi Bartholomæi; & concordi, ac uniformi testimonio tot Beneventanæ Provinciæ Episcoporum, qui viderunt has Sacras Reliquias, & eorum fidei hac in re standum esse Sacri Canones sanxerunt, ut mox diximus; & numerus testium qualificatorum superat omnem probationem, *Buratt. decis. 143. 349. & 725.*

Episcopus approbat suas reliquias.

Clemens VII. *asserit idem an. 1347.*

XXII. Datur etiam bulla *Clem. VI.* anno 1347., in qua concessit indulgentias Ecclesiæ Metropolitanæ, & capellæ adjunctæ sub sequenti attestatione: *In qua quidem capella Corpus B. Bartholomæi Apostoli venerabilitèr requiescit.*

Bonifac. IX. *an. 1400. idem dicit.*

XXIII. Consonat hujus tenori alia bulla *Bonifacii IX. expedita Romæ sub anno* 1400.

Urba. V. *anno 1363. & Pius II. ann. 1459. idem dicunt.*

XXIV. Prædictis accedunt duæ aliæ bullæ *Urbani V.*, anno 1363. & *Pii II.*, anno 1459., istam existentiam enunciantes; & enunciativæ geminatæ in antiquis probationem inducunt, *Gratian. discept. 554. num. 50.* maximè quia sunt antiquissimæ, & ultrà centum annos, & à diversis personis, (maximè summis Pontificibus) *Rota apud Coccin. decis. 911. num. 5.*, nec summi

Pon-

Pontifices errorem hunc in veneratione facri Corporis toleraffent; ut refcripfit in fimili re *Clem.4* Ifabellæ forori S. Ludovici IX. Regis Galliarum circa facram Reliquiam capitis S. Pauli fub anno 1268. *Quod fi forfitan caput B. Pauli Apoftoli apud te effe putas, depone confcientiam, ne fallaris; nec ponas fcandalum matri tuæ Romanæ Ecclefiæ, quæ deceptionem hujufmodi non æquanimiter toleraret.*

XXV. *Sergius IV.* anno 1011. *Anaftafius IV.* anno 1157. concefferunt ufum pallii Archiepifcopo Beneventano in die festo translationis S. Bartholomæi; Unde adverfarii fateri debent Corpus B. Bartholomæi permanfiffe in Ecclefia Beneventana; nam feftum tranflationis celebratur in Ecclefia particulari, habetque refpectum ad facras Reliquias, quæ in illa Ecclefia affervantur, *Fagn. in cap. cum ex eo num.23. §.nec obftat, verf.nam refpondetur.* Quod fi pretenfa afportatio ab Othone facta realitèr fuiffet, dies anniverfaria doloris, non gaudii à Beneventanis celebranda veniret, ut fcripfit *D. Hieron.* in foph. c. 1. *Vox folemnitatis verfa eft in planctum: ululant fuper cineres fanctuarii, & fuper altare deftructum, & fuper Civitates quondam munitas, & fuper excelfos angulos templi.* Serg. IV. *anno* 1011. Anaft. IV. *ann.* 1153. Adrian. IV. *an.* 1157. *Feftum tranflationis SS. Reliquiarum volucre.*

§. IV.

Teftimonia Archiepifcoporum Beneventanorum; & Ladislai *Regis Neapolis.*

XXVI. PRimus fuit *Alfanus III.* qui circa annum 1017. in Ecclefia Cantaurienfi coram Regina, & innumerabilibus religiofis, jure jurando, fuper hoftia confecrata, & facris Reliquiis id affirmavit, ut dictum eft §.1. *num. II.* Alfani III. *Archiep. de anno* 1017. *teftimonium.*

XXVII. *Roffridus* Archiepifcopus in Concilio Generali Barenfi ann.1098. factum Alfani Archiepifcopi mox memoratum affirmavit interrogatus ab *Eadmero, & Archiepifcopo Cantuarienfi;* & confirmavit, oftendendo in dorfo fuo pluviale donatum ab Archiepifcopo Cantuarienfi eidem Alfano *fupra* §.1. *num.II.* Roffridi *Archiep. de anno* 1098. *teftimonium.*

XXVIII. *Romanus* Capoferrus in fua bulla anni 1273. cui titulus eft: *Inftauratio fodalitatis B. Apoftoli* in actis bibliothecę Beneventanę, & producta ab *Ughellio tom.8. col.*213. deplorans direptionem Civitatis, & Metropolitanæ factam priùs à *Friderico II.* anno 1239. & poſteà à *Carolo I.* Andegavenfi anno 1265. ita exclamavit: *nec Deum fuum timuit creatorem, nec fanctos vereri voluit, præcipuè B. Bartholomæum Apoftolum, qui in præfata Civitate facratiffimum fuum Corpus voluit præfervari.* Romani Capoferri *Archiep. de an.* 1273. *teftimonium.*

XXIX. *Gulielmus* Archiepifcopus in quodam inftrumento publico anni 1346. per acta *Not. Nicolai Sarrilli Neapolit.* in quo univit multa beneficia Ecclefiæ S. Bartholomæi, hoc idem Gulielmi *Archiepifc. teftimonium de anno* 1346.

teftatus

testatus fuit. Et quando tractatur de sacrarum Reliquiarum approbatione, jam diximus supra *num. XXI.* standum esse attestationibus Episcoporum.

Ladislai Regis Neapolis an. 1414. testimonium.

XXX. Accedit in confirmationem supradictorum Epistola *Ladislai* Regis Neapolis, qui sub *die sexta Februarii* 1414. *petiit à Donato Aquino* Archiepiscopo, & suis canonicis sibi concedi brachium, vel aliud membrum Corporis B. Apostoli Bartholomęi. Undè Rex indubius erat de existentia Corporis B. Bartholomęi in Ecclesia Beneventana; & in materia Sacrarum Reliquiarum Sacri Canones firmarunt esse deferendum consilio, licèt non consensui, Principis laici, *ex cap. ad nostram de consuet. Fagnan. in cit. cap. cum ex eo num.* 18. 19. *de reliquiis, & venerat. Sanctorum*; quæ quidem Regis assertio hoc loci magis adstringit, quia confirmatur ex sequenti consona responsione Archiepiscopi Beneventani.

Archiep. de Aquino *testimonium an. 1414.*

XXXI. Epistola responsiva supradicti Archiepiscopi de Aquino facta Regi, clarè dicit, quod ipsum Sacrum Corpus servabatur tribus clavibus obseratum, nec Cives sine scandalo hoc permisissent.

Archiep. Foppa *anno 1672. testimonium.*

XXXII. Archiepiscopus Foppa sub die 11. mensis Junii 1672. transtulit eandem capsam ex ære cyprio, sub qua asservatur Corpus Divi Bartholomęi, à suo sacello tùnc posito in capite chori sacręmet Basilicę, quod ostio ferreo tribus clavibus muniebatur, & reposuit intus altare confessionis dicti Apostoli, quæ confessio sita erat subtus altare majus, ab ipsomet Archiepiscopo nobilitèr constructum in Ecclesia Divi Bartholomæi, hodiè ex terremotu collapsa, ut ex publico instrumento per acta Not. Josephi de Pompeio sub citata die, mense, & anno. Quod si attestatio unius Episcopi satis est in probanda identitate Sacrarum Reliquiarum, eò magis in casu nostro, ubi concurrunt testimonia concordantia tot Archiepiscoporum, & Regis; & applicantur jura adducta *num. XXI.*

Probatio ocularis anno 1688.

XXXIII. Fulciuntur supradicta omnia ex liquescentia probationis ocularis; nam causa terręmotus anni 1688. solo æquata Ecclesia S. Bartholomæi, in qua reposita fuerat arca ex ære cyprio cum sacro illius Corpore ab *Arnaldo* Archiepiscopo de anno 1338. cum præsentia Episcoporum suffraganeorum, & cum sigillis Episcopalibus impressis, in cera rubra hispanica, & propriè sub altari confessionis, ubi reposuerat Archiepiscopus Foppa, ut dicetur infra, *§. X. ipsum ergò sacrum Corpus.* Unde dicendum venit: *quod audivimus, vidimus, & manus nostrę contrectaverunt.*

§. V

§. V.

Diluuntur adversa.

Evertitur Othonis Frisingensis *authoritas.*

PRobationibus, apertisque juribus iam adductis pro permanentia Sacri Corporis Divi Bartholomæi in Ecclesia Beneventana, non obstant contraria. Primò, non obstant scripta per *Othonem* Monachum Cisterciensem Episcopū *Frisingensem* defunctum anno 1158. (circà quod tempus scripserat;) qui *lib.6. c.35. chron.* refert *translationem Benevento Romam ab Othone II. capto Benevento factam*. Nam scriptor iste est simplex relator assertionis vulgi Romanorum: *Tradunt Romani*, & istis, utpotè in causa propria testantibus, non est adhibenda fides, licèt esset Rex, aut Princeps, ut de communi testatur *Farinac. de testibus quæst.60.num.15.* & adeò verum est Frisingensem locutum fuisse sub fundamento vanæ hujus popularis vocis canentis facta, & infecta, quod ejus dictum errorum convincitur in tempore translationis, in persona transferentis, & in facto ipsius translationis.

Assertio Frisingensis.

Frisingensis *locutus sub fundamento vocis popularis.*

Frisingensis *erravit in tempore, in persona, & in facto.*

I. Erravit siquidem in tempore; Nàm *Otho* II. mortuus fuit an. 983. translatio autem hujus Corporis tribuitur facta in anno 1000. teste *Cardinali Baronio*, qui & pro contraria sententia adducitur, quem communiter sequuntur ad *annum citatum n.6.*

Otho II. *nunquam obsedit Beneventum.*

II. Erravit in persona; Nam translatio ab ipsis adversariis supponitur facta ab *Othone III.* non ab *Othone II.* & ità tenent (licèt ex erronea suppositione, ut infrà dicetur) etiam Imperator *Fridericus I.*, Acta Synodalia supposita *Alex.PP.III.*, & Inscriptio apocripha, quæ legitur in Ecclesia Tiberina.

III. Erravit in facto: Nàm nullibi legitur *Othonem II.* obsedisse Beneventum, illudque devastasse. Non scripserunt de facto illo *Hermannus Contractus*, qui suas historias typis dedit anno 1054. Non *Lambertus Schafnaburgensis* in historia rerum germanicarum usq; ad *an.*1077. Non *Marianus Scotus*; qui edidit chronicon usque ad annum 1083. & hi omnes de gestis ab *Othone II.* toto tempore ejus vitæ minutim adnotarunt, & verbum nullum faciunt de direptione Beneventana, nèc de Sacri Corporis Divi Bartholomæi translatione. Nèc ea de re minimum quid scripsit *Lupus Protospada* de rebus in Regno Neapolitano, & bellis exterarum nationum ab *anno* 860. usq; ad annum 1111. Imò nèc Baronius, qui in suis annalibus de *Othone II.* plura scripsit, verbum aliquod de hac direptione Beneventana fecit, & quando Historici sunt sibimet contrarii, seipsos collidunt, & fides eis non datur, *Farin. de testibus quæst.65. par. prima n.2. &* 3. Imò nèc ipse *Sigibertus*, qui ad annum 980. scripsit *Othonem*

Historicis sibi contrariis non datur fides.

II. navali prælio fusum, ac natatu, & in scapha fugisse, minimùm fecit verbum Beneventanos fuisse captos, & direptos. Quod (si factum fuisset verum) sub isto anno ordine chronico Frisingensis adnotasse debuerat; undè referens illud extrà propriũ locum suæ narrationis, ultrò liquet ipsum retulisse tantummodò *dicta Romanorum*, & fuisse loquutum de auditu, quo casu Authoribus nulla præstatur fides, *Card. de Luca de donat. disc.35. num.8. & de judiciis latiùs*; maximè quia convincitur pluribus erroribus, *idem de testam. disc.13.n.11.*

Authori scribenti de auditu non datur fides.

Demonstratoque erroneo hoc fundamento Frisingensis, nihil curandum venit de cæteris illius sequacibus, qui addiderunt tempus certum translationis, & explicarunt causam de direptione Beneventana ab Othone facta, ex motivo, quod Romani, & Beneventani fuissent ex acie Othonis profugi, & signa deseruissent, & ex hoc motivo posteà Beneventanos adorsus imparatos, Urbem cœpit, spoliavit, incendit, & reliquias D. Bartholomæi asportavit, qui scriptores sunt *Goffredus à Viterbo in anno* 1188. *Notarius Corrad. III. & Friderici I. Martinus Polonus in anno* 1281. *Flavius Blondus, Petrus de Natalibus, Jacobus Philippus Bergomensis, Jo. Baptista Egnatius, Carolus Sigonius, Joannes Naucleriius*, qui scripserunt in seculo XIV; & alij moderniores post ipsos. Etenim in danda fide historijs ea præcipuè attendenda est regula, ut scilicet dignoscatur, quis fuerit scriptorum antesignanus; nam error unius cęteros omnes labefactat, ut scripsit *de Rubeis* Prom. fidei in urbe apud *Mattam de Canon. Sanctor. p. 4. Cap. 23. n. 8. & 20.*

Error antesignani labefactat sequaces.

E contrà verò in historis illa est tenenda regula, ut fides detur scriptoribus qui propè eventum scripsere, *idem ibidem* n. 30. ubi maximè id procedere notatur, si sint plures concordes: Vndè nullatenus est standùm dictis *Frisingensis*, qui erroneè scripsit, ut visum est, & post 150. annos; vel alijs Scriptoribus, qui illum sunt sequuti, Idem, *Matta loc. cit. n. 20. in fine*, sed fides ex hismet duabus regulis erit præstãda *Leoni Ostiensi*, qui scripsit circa annũ 1087; *lib. 2. cap. 9.* refert factũ belli *Othonis II.* evenisse in an. 983. quo tempore cum ingenti classe Calabriã cum Saracenis dimicaturus advenit, sed divina permissione superatus ab illis, vix evadere potuit. Quorsùm igitùr somniavit *Frisingensis*, illiusquè sectatores, quod bellum fuerit Benevento inflictũ? Nec *Ostiensis* ipse antiquissimus scriptor, & propè tẽpora hujus belli aliquid de direptione Beneventana dicit. Imò ex notatis ab ipso *Cardinal. Ostiensi* habetur, quod *Otho II.* post fugam ex isto bello in Civitatem Capuæ se recepit, & gratissimè rependit mortem Landulfi Principis Beneventani, & Atenulfi ejus fratris in acie defunctorum, nàm firmavit Principatum Beneventanum Aloaræ viduæ, & filio illius Landenulfo. Igitur *Otho* post bellum fuit Bene-

Creditur historico cõtemporaneo.

Otho II. *concedit Beneventum filio Landulfi.*

neventanis benevolus, & non indignatus. Insuper eodem tempore in Civitate Capuæ mense Novembris 983. donavit Cænobio Sanctæ Sophiæ Beneventi existenti quandam Curtem cum Ecclesia B. Mariæ virginis, ut ex illius diplomate apud Ughellium in *Ital. sac. to. 8. col. 162.* ex solo motivo expresso, pro Domini amore, suæque animæ remedio, quod fieri non potuisset Civitate devastata. Et ipse *Sigebertus* memorans *Othonis II.* copias, ad annum 980. Romanos hac occasione victos observat, & de Beneventanis nihil dicit. Sed nec revera Romani hoc in prælio defecerunt; nam ipse *Sigebertus* dicit, quod in eo bello omnes Romanorum copiæ interfectæ fuerunt. Veriùs tamen cum *Baronio* ad annum 983. dicendum est *Othonem II.* in hoc prælio defecisse ob peccatum, quod Mesburgensem Ecclesiam Sancti Laurentij Episcopali dignitate privavit, pugnante contrà ipsum S. Laurentio, ut scripsit ipse *Baronius loc. cit. n. 9.*

Otho II. *defecit in prælio Calabriæ ob peccatum.*

§. *VI.*

Refellitur inscriptio Ecclesiæ Tyberinæ.

INscriptio ista, in qua dicitur in memorata Ecclesia requiescere corpus Divi Bartholomæi, & Paulini, non legitur ibi facta aliqua authoritate publica: sed solùm *tempore Paschalis II. Papæ, anno Dominicæ incarnationis 1113. indictione 7. mense Aprilis die 4.* Unde nullius est fidei, *Pignat. to. 4. consult. 42. nu. 21.* & dicendum venit, fuisse factam ab aliqua persona privata, seù Rectore illius Ecclesiæ, qui nullam adstringit fidem in hac materia, utpotè concernentem laudem suæ Ecclesiæ, *Farin. de testib. qu. 60. num. 573.* iste enim verisimile est, quod potuit scribere sub illa falsa populari Romanorum voce, sub qua scripsit deceptus *Frisingensis*, ut in *præcedenti §. vidimus.* Et hoc est adeò verum, ut de ea inscriptione, tanquam fide vacua, nullus *Author* meminerit. Et nec *Fridericus* Imperator in suis literis datis anno 1167. (quatenùs veræ essent, ut dicemus infrà §. 8.) quidquam de ista inscriptione dixit. Nec *Goffredus* à Viterbo, nec *Martinus Polonus*, nec *Egnatius*, nec *Platina*, nec *Sigonius*, nec *Nauclerus*, nec alij Recentiores, qui potiùs cõtrariantur ipsi inscriptioni; nàm firmarunt translationem fuisse factam ab *Othone II.* non verò ab *Othone III.* ut cantat inscriptio; in quam æquivocationem *Baronius* ipse in *notis* ad Martyrologiũ *sub die 25. Augusti* lapsus fuit. Accedit quod Cardinalis *Ostiensis*, qui eo tempore Romę versabatur, & scripserat contrarium, ut supra visum est *nu. 1.* suam emendasset sententiam, vel Papæ retulisset. Nec, si vera fuisset inscriptio ipsa, *Suggerius* Abbas S. Dionysij novennio post, hoc est, anno 1122. Roma Beneventum venisset ad corpus B. Bartholomæi visitandum, ut supra diximus n. 3. Et *Platina*, & *Ciacco-*

Inscriptiones fieri debent authoritate publica.

De hac inscriptione nullus Author loquitur.

 nius

nius, qui res gestas à Paschali II. & consecrationes ecclesiarū, & reliquiarum invētarum ab illo factas scripsere, de hac inscriptione verbum nullum fecerunt. Et tot scriptores Romæ degentes, & qui scire potuissent veritatem hujus inscriptionis, & eam non dixerunt, concludunt perneceſſe, vel quod inscriptio non aderat, vel quod erat fictitia, & nullius fidei; testis enim qui præsens est, & super facto aliquo non deponit, illius rei mendacium indicit, *Farin. de testib. qu. 66. n. 229.* Et licet modernè *Oldoinus in addit. ad Ciacconium* de hac re referat; nihilominus sinè authoritate loquitur, nec illi credendum est, *De Luca de donat. disc. 61. n. 21.* Et adeò verum est inscriptionem istam fuisse factam sub erronea vulgi credulitate, quià legitur falsa in indictione; etenim anno 1113. currebat indictio *sexta*; nam *Ciacconius* refert repositionem corporum SS. Pontiani, Eusebij, & aliorum factam fuisse Romæ anno 1112. sub indictione *quinta*; igitur anno 1113. erat indictio *sexta*, & non *septima*; & ipse Baronius incipit annum 1113. & dicit *indictione sexta*; & falsitas indictionis reddit instrumentum falsum, *Farin. de falsit. qu. 155. par. 2. nu. 19.* Rota coram *Coccin. decis. 101. nu. 2.* tantò magis quià hic non agitur de punienda falsitate, sed solùm de fide non adhibenda hujusmodi scripturis.

Testis præsens, si de facto non dicit, arguit factum non esse verū.

Falsitas in dictionis reddit instrumentum falsum.

§. VII.
Reiicitur testimonium Roberti de Monte.

Author iste perduxit *Chronicon Sigiberti* usque ad annum 1210. quo tempore vixit; & sub anno 1157. refert: *inundatione Tyberis facta non modica Romæ, in quadam Insula ejusdem fluminis in Ecclesiola antiqua inventum in quodam sarcophago Corpus D. Bartholomæi Apostoli totum integrum, excepto Corio, quod remansit Beneventi, quando Otho Imperator, capta eadem Civitate, Corpus prædicti Apostoli transtulit Romam, sicut tabula æreæ demonstrant scriptæ literis Græcis, & Latinis, quæ repertæ fuerunt in Corpore Apostoli: Repertumque est etiam in eadem Ecclesia Corpus S. Paulini Nolani Episcopi.* Quæ quidem narratio, ut suspectę fidei sit, sufficit, quod sit facta à discipulo Sigiberti; (discipulus enim, qui à discendo dicitur, quæ didicit eructat.) Nihilominùs scatet tot erroribus, quot sunt ejus dicta. Quod ut videatur.

I. Dicit evenisse inundationem permaximam Tyberis dicto anno 1157. & tamèn *Iacobus Philippus* in Chronicis, & *Michael Zappullus* in Romana historia, qui numerant diligentissimè omnes inundationes Tyberis, de ista nullum faciunt verbum; & sic vera non fuit.

II. Elicitur intergiversabilis falsitas, quod nempè *inventum fuit Corpus totum integrum.* Repugnat enim hoc omnium scribentium

tium sensui communitèr recepto, qui firmant in Insula Liparitana omnia illius ossa fuisse à Saracenis dispersa, & à Theodoto Monacho per miraculum admonito, collecta, ut dictum est *n.*1. Quomodò igitur Corpus esse poterat integrum ? Quod si per *integrum Corpus* intelligere voluisset omnia illius ossa, etiam veritati opponitur; nàm deerat brachium, quod *Landulphus* Archiepiscopus Beneventanus dederat anno 962. Bernardo Filio Leoduni Comitis Pennarum, & ab eo in Ecclesia eidem Apostolo Carpineti dedicata in ara maxima collocatum fuit coram *Pendensi, Aprutino, Teatino, Valvensi, & Marsicano Pontificibus*, ut legitur in *Chron. Carpin. Cænobii apud Ugbellium tom. 8. col. 86.* Insuper alię Reliquię ejusdem B. Apostoli reconditæ sunt in majori Ecclesia Cassinensi, quando ab *Alexandro PP. II.* dedicata fuit cum assistentia decem Archiepiscoporum, & quadraginta trium Episcoporum anno 1071. mense Octobris, ut *Ostiensis* est Author *libro 3. cap. 30.* Insupèr *Desiderius* Abbas Cassinensis Beneventanus, (qui posteà fuit Victor PP. III.) condidit in Altare ejusdem Apostoli (cum illius Basilica à Sorano Episcopo ejus nutu dicaretur anno 1075. III. Nonas Ianuarii) partem non exiguam Apostolici Corporis in capsa argentea, teste eodem *Ostiense lib. 3. cap. 34.* Idem quoque Cassinum habebat alias Reliquias B. Apostoli à *Petro Diacono lib. 4. cap. 23.* relatas, quas in Ecclesia S. Stephani *Oberisius* Abbas condiderat anno 1103. cum dedicatio fieret. Undè testimonium *Roberti de Monte* asserentis totum integrum Corpus fuisse inventum in Ecclesia Insulę Tyberinę, falsitatem redolet apertam, utpotè repugnantem veritati tot gestorum per Archiepiscopum, tot Episcopos, & Abbates. Pręthereà Neapoli apud moniales D. Reginę Ordinis S. Francisci servatur pars capitis; Pisis, tùm in Metropolitana, tùm in aliis Ecclesiis nonnulla frustula retinentur. In hac autèm Civitate Beneventi potissima parte sumus contenti; nec unquam integrum Corpus jactavimus.

III. Asserit *Robertus* Corium remansisse Beneventi; Et hoc merum somnium est; quia in Insula Liparitana, à qua Beneventum fuit Corpus translatatum, legitur tantummodò, Ossa per agros fuisse dispersa, & numquàm de corio fit mentio. Imò stringens *Robertus* in sui assertione *totum integrum Corpus excepto corio* fuisse inventum, magis auget suam falsitatem, quia ly: *præter*, includit repertas fuisse Romę omnes alias partes Corporis Divi Bartholomęi pręter pellem, *Menoch de præsum. lib. 4. qu. 145. n. 3.* sed hoc repugnat in facto, quia plures Reliquię venerantur in pluribus Ecclesiis, ut modò diximus.

IV. Convincitur *Robertus* de falsitate. Nàm dicit ab *Othone* translatum fuisse Sacrum Corpus, capta Urbe Beneventana. Quod si intelligat de *Othone II.* jam visum est sub ipso Imperatore

tore factum hoc non evenisse. Si verò intelligat de *Othone III.* neque Hic Beneventum devastavit. Et hoc ostenditur primò ex *Leone Ostiensi*, qui nullam facit mentionem armorum in adventu *Othonis III.* ad Urbem Beneventanam. Secundò, Otho iste venit ad Montem Garganum nudis pedibus visitaturus Basilicam S. Michaelis causa pœnitentię impositę, & visitavit Beneventum, & eandem Civitatem remeavit; & hinc, accepto Corpore S. Paulini ex pio dolo Beneventanorum, discessit; & posteà detecta fraude, Beneventum obsedit, cumque nihil profecisset ad propria rediit, & in itinere mortuus est, ut legitur in *Ostien. cit. art.* 1. §. 1. Ex quibus falsa colligitur assertio *Roberti* affirmantis, quod *Otho* Imperator, Capta Civitate, transtulit Corpus Apostoli Romam.

Otho non cepit Beneventum.

Nec assertę laminę gręcis, latinisque literis scriptæ evincunt. Nàm de his laminis nullus *Author* loquitur. Et quatenùs re vera inventę fuissent, illas ab Othone, pia fraude capto, ad fidem suæ deceptę opinionis positas fuisse dubitare non debemus. Nec inscriptiones, & laminæ istæ veritatem adstruunt (si veræ fuissent) quia authoritas publica in iis deest, *Felin. in cap. causam de probat. n.* 7 1. *&* 27. *ubi firmat de communi, & in cap. sanè, il secondo a causa* 24. *q.* 2. legitur: *si designant traditorem suum*; & non quòd in rubrica dicitur, sed quòd in corpore scriptum reperitur, illud est tenendum, *Mascard. de probat. concl.* 1290. *num.* 14; & sic aliud nuntiassent Summi Pontifices, & Archiepiscopi, qui sunt veri judices reliquiarum, & aliud pręco, scilicet hę tabulę, clamassent.

Inscriptiones requirunt authoritatem publicam.

Rubricæ quando non est standum.

V. Asserit *Robertus* fuisse etiam ibi inventum corpus B. Paulini Episcopi Nolani. Sed hoc nemo ex Scriptoribus dixit, fuisse nempè ab Othone duo Sacra corpora translata.

Otho non transtulit duo sacra corpora.

Meliùs fecisset, si veritatem dixisset, quod scilicet sacrum corpus S. *Adalberti* martyris Episcopi Frangensis de familia Ursinorum translatum fuisset Romam ab *Othone*, & repositum anno 1090. in Ecclesia eidem Sancto dicata in Insula Tyberina, ut legitur ex *Baronio anno* 1000. *n.* 5. qui testatur *Othonem* ex fama illius miraculorum petiisse Gnesnam, ubi quiescebat, & transtulisse Romam: Ex qua re fratres S. Francisci, qui hodiè incolunt Ecclesiam ipsam, ostendunt anulum in digito ejusdem Sancti: & forsàn unum ex illis, quibus devotus Imperator ornavit illius manus, juxta ipsum *Baronium*. Ex quibus elicitur *Robertum* fuisse loquutum cum falso supposito, & propterea illi nullatenus est credendum, *De Luca de servit. disc.* 103. *n.* 9.

Corpus S. Adalberti translatum ab Othone III. Romam.

§. *VIII.*

§. VIII.
Evertitur Epistola Friderici I.

HUjus Imperatoris authoritate putant adversarij suam stabilire sententiam. Etenim iste anno 1167. cum esset magno exercitu in obsidione almæ Urbis, dicitur voluisse dubietatem removere super permanentia Corporis B. Bartholomæi;& Sanctionem edidit,in qua dixit in exordio: *Annales pro inquirenda hujusmodi veritate prædecessorum nostrorum Catholicorum revoluimus, & ipsorum annalium 6. libro invenimus, qualitèr Imperator Otho II. venerandum corpus Sanctissimi Apostoli Bartholomæi Benevento Romam detulerit, & in Insula Lycaonia, & tumba porphyretica gloriosissimè collocaverit.* Insuper confirmavit donationes,quas dixit ab *Othone* memorato eidem Ecclesiæ factas: narravit alia mox animadvertenda; imposuitque pœnam alitèr dicentibus. *Tenor Epistolæ Friderici I.*

Verùm epistola ista se fictitiam esse clarè suis verbis demonstrat, utpotè claris facti erroribus scatens.

Et in primis, huic Imperatori in hac re sacrosancta, quam fidem quis præstabit, si erat impius, excommunicatus, schismaticus, Oppida depopulabatur,Ecclesias incendebat, Sanctissimum Christi Vicarium Alexandrum III. persequebatur; odio habebat Beneventanos, quia anno 1167. honorabiliter receperant summum Pontificem *Alexadrum III.* ab ipso hostiliter insecutum, ut favores daret Antipapæ? Sicuti scripserunt *Antoninus, Cassinensis, & Romualdus Florentinus* notati à *Baronio anno* 1002.*n.*1. Extrà quod Imperatori quantumvis pio, in materia sacrarum reliquiarum aliquid diffinire, incapacitas obstat jurisdictionis, c.1.96. *distin.& X.distinc.per totam, cap. sol. de major. & obed.* Et Fridericus hac in re non fuit Author: non judex:non testis. Non Author; quia non fuit ipse translator in prætensa asportatione Othoniana. Non judex, quia vindicatio, & identificatio sacrarum reliquiarum non pertinet ad Imperatorem, sed ad Episcopum, *Fagn. in cap. cum em eo n.*18. *de reliquiis,&c.*Non testis, quia ipse fuit simplex relator narrationis *Frisingensis*,cui innititur citando *librum 6. annalium*, qui locus erroneus est, ut diximus §.V.

Examinatio autem errorum ipsius epistolæ rem facit clariorem.

Primus error est afferere dubium fuisse super permanentia hujus sacri Corporis. Nam si verè erant attestationes *Roberti de Monte*, & inscriptio in Ecclesia Tybertina,& ipse Imperator pluries Romæ fuerat, & suam diligentiam commemorat, ad quid amplius dubium ponere? Attamen fundamentum *Friderici* exprimitur stabilitum ex *lib. annalium lib.6.* qui locus est *Frisingensis cap.*25.26. in superioribus confutati. Undè corruente fundamento *Fridericus se fundat in Frisingensi.*

Corruente fundamento corruit assertio. mento suę assertionis, assertio ipsa corruat pernecesse est; De Luca de pens. disc.81. n.19.

Secundus error est asserere sacrum hoc Corpus fuisse Romam translatum ab *Othone II.* quæ res in superioribus fuit pro aperto errore demonstrata;& *Baronius* pro contraria sententia adductus sub *anno* 1000.*num.*8. scripsit quod *manifesti erroris redarguuntur illi, qui ab Othone II. id factum esse scripsere.*

Otho II. non datur Author translationis.

Tertius error est, quod Fridericus affirmat Ecclesiam S. Bartholomęi in insula Tyberina fuisse existentem anno 987. quando certum est fuisse erectam anno 1000. *ab Othone III.* in honorem S. Adalberti martyris, ut probat *Baronius* ipse *anno* 1000. *num.*5. Sed, & insuper nec comperitur ex aliquo scriptore, vel aliquo monimento Othonem donasse prędia aliqua ipsi Ecclesię.

Ecclesia in insula Tyberina ædificata anno 1000.

Quartus error est, quod *Fridericus* asserit *Othonem I.* Romam venisse anno 974. Quando *Baronius* memoratus anno 1000.*nu.*5. dicit ipsum fuisse defunctum anno 973.

Othò I. defunctus anno 973.

Quintus error est asserere, quod *Otho II.* fuisset coronatus anno 974. *à Leone* anti-Papa. Quando iste erat mortuus anno 965. ut legitur apud ipsum *Baronium an.* 965. *num.* 4. Veritas enim hujus facti est, quam scripsit *Lambertus à Scafnaburgo apud Petavium*, scilicet *Othonem II.* fuisse coronatum à Joanne XIII. anno 967. quod etiam comprobatur per bullam ipsius Pontificis allegatam à *Labeo to.9 concil. col.*1227. *registratam* in bibliotheca Beneventana, ubi legitur EcclesiamBeneventanam, primam inter omnes Regni, ornatam titulo Archiepiscopatus, quę bulla fuit expedita anno 969. Pontificatus Joannis IV.& septimo anno Othonis majoris, & secundo anno Othonis minoris *indictione* 12.

Otho II. à quo coronatus.

Sextus error est asserere, quod eodem anno 974. Otho II. fuit matrimonio junctus cum Teophania. Quando certissimum est, ipsum fuisse creatum Imperatorem quatuor annis ante suas nuptias, imò *quinque* juxtà *Sigebertum*; & convincitur etiam ex aliis apud *Illustris. Episcopum Sarnellium in Chronologia Episcopali Beneventana ad annum* 969. *n.*51.

Tempus nuptiarum Othonis II.

Septimus error est asserere, quod *Otho I.* fuisset mortuus anno 975. Quando conveniunt gravissimi Authores obiisse anno 973. ut referunt *Ditmarus Episcopus Merburgensis lib.*2.*Cron. Baronius anno* 953. *n.*1. *& alii.*

Mors Othonis I.

Octavus error est asserere, quod Otho II. obiit anno 984. quando *Ditmarus*, & *Baronius*, & alii scriptores firmant ipsum mortuum fuisse mense Decembris anno 983.

Mors Othonis II.

Nonus, & ultimus error est asserere, quod mors Othonis III. evenisset anno 17. sui Imperii; Quando *Baronius anno* 1002. *num.* 1. dicit istum vita functum anno 7. Imperii. Ex quibus dicen-

Mors Othonis III.

dicendum est, nullius fidei esse has literas *Friderici* ob tot manifestos errores, & concludendum cum *Tatiano* in oratione contra Græcos *Bibliot. PP. t. 1. ubi temporum ratio non cohæret, ibi nec historia quidem vera esse potest.*

§. IX.

Acta Synodalia Alexandri III., aliaque Bullæ Apostolicæ demonstrantur apocripha.

ADducunt etiam adversarii pro suæ assertionis fundamento acta Concilii celebrati sub Alex. PP. III. Verùm confunduntur, quia sub hoc Pontifice duo solùm fuerunt celebrata Concilia. Primum Lateranense anno 1168. in quo fuit excommunic. Fridericus Barbarossa. Secundum etiam Lateranense, quod est *undecimum* Oecumenicum anno 1179. extincto schismate; & in neutro istorum, signantèr in Secundo (de Patrum ordine scripto à Gulielmo *Archiepiscopo Tirensi*, & à *Rugerio Oveden* in annalibus Anglicanis) quicquam de S. Bartholomæo habetur. Nec scheda quædam, vulgò Cartellone, quæ cum *Friderici* literis in Ecclesia Tyberina posita est, & de actis istis meminit, ullam fidem facit. Tùm quià erronea est, nam dicit, Alexandrum III. post Missam celebratam consecrasse Ecclesiam; & tamen consecratio iuxtà Pontificale fit antè Missam. Tùm etiam quia dicitur, quod legerunt translationem Benevento Romam factam per Othonem Imperatorem; & aliud monumentum in Ecclesia non erat, nisi supposita litera Friderici Imperatoris edita anno 1167. Undè non sunt attendendæ authoritates carentes fundamento, *De Luca de tutoribus disc. 9. num. 4.* Insuper inscriptio ista non legitur facta ex publica authoritate, ut dictum est suprà §. VII. num. IV. sed facillimè à Rectoribus Ecclesiæ, qui affectaverunt literas falsas *Friderici*. Et *Baronius* ipse diligentissimè scripsit duo memorata Concilia sub *Alex. III.*, ne meminit quidem de S. Bartholomæo; & quamquam ad annum 1000. num. 6. hujusmodi acta se allaturum promiserit, re vera non attulit. Ex quo fit, ut ea verè non adfuerint, & tanquam apocripha sint censenda. Idemque dicendum est de aliis summorum Pontificum Constitutionibus ab ipso Eminentissimo Baronio allegatis, quià, semper laudandus Author iste, forsan sub alicujus scriptoris fide id fecit, sed posteà illas non habuit, & non produxit. Author enim est intelligendus secundum jura, quæ affert; quod si ea non consistant, nec dictum Authoris stabit, *De Luca locis mox citatis.*

Authoritas sine fundamento non subsistit.

Author est intelligendus secundum jura, quæ affert.

Nec similitèr breve *Pii PP. IV.* anno 1557., quo mandavit Capitulo S. Petri de Urbe, ut restituerent Fratribus Ecclesiæ S. Bartholomæi Reliquias occasione inundationis Tyberis

à di-

à dicta Ecclesia ad illam S. Petri translatas, prout jam restitutæ fuerunt, aliquid pro adversariis stringit; etenim breve ipsum nihil ponit in esse; ob insertas clausulas: *sicut accepimus: dicitur: ut præfertur*, *Barbosa clauf.* 148., 116., 188. Nec in ipso brevi exprimitur, illas fuisse Reliquias S. Bartholomæi, sed dicitur generalitèr: *Reliquiæ Sanctorum, quæ in dicta Ecclesia erant*, nullam mentionem faciendo de Reliquiis S. Bartholomæi.

Clausula sicut accepimus, dicitur, ut præfertur.

§. X.

Satisfit Breviario, & Martyrologio Romanis.

EX lectionibus istis habetur, quod *Corpus Divi Bartholomæi, prius Albani sepultum, posteà ad Liparam insulam delatum, indè Beneventum translatum est, postremò Romam ab Othone III. Imperatore portatum, in Tyberis insula in Ecclesia ejus nomini Deo dicata collocatum fuit*. Verùm lectiones istæ non magis stringunt, quàm authoritates aliarum historiarum superiùs enunciatarum, è quibus lectiones istæ erutæ fuerunt; & corruente antesignano, cætera corruant necesse est; latè *De Luca in conflictu ration. & legi: obser.* 24. Authoritas Romani Breviarii semper, & summè est colenda in rebus pertinentibus ad orationes, & cultus Ecclesiasticos; Cæterùm quò ad facta, & lectiones Sanctorum non sunt pro inconcussis habendæ, ut in terminis *Matta de Canon. Sanct. par.* 4. *cap.* 20. *num.* 43., 44; & secundum temporum congruitatem ipsas Ecclesia Catholica correxit, & emendavit, ut in *Concil. Trullano de anno* 692. *can.* 63. *In Conc. Senonensi an.* 1528. *celebrato Bononiæ an.* 1536. *In Trid. In Rhotomagensi an.* 1581. *In Rhemensi anno* 1583.; *Et Gavantus*, qui fuit unus ex deputatis in recognitione ultimi Breviarii *Clementini-Urbani* in *rubrica* Breviarii *sect.* 5. *cap.* 12. *num.* 16. expresse admonet, ibi: *Perdifficile visum est illas ad historiæ veritatem bona fide restituere Sanctorum lectiones &c. quamvis fortasiè altera sententia sit à pluribus recepta*; & in differt. typis data Beneventi anno 1695. *fol.* 74. §. *l'idolatria cum seq.* habentur plures æquivocationes hodiè existentes in historiis relatis in Breviario Clementino-Urbano, prout etiam apud *Mattam loc. cit.* Et ex facto comperitur veritas ista, nam in Breviariis Romanis impressis anno 1458., 1482., 1545., 1552., 1557., 1561., & 1564. nullatenus dicitur ossa B. Bartholomæi fuisse transportata Romam, & reposita in insula Tyberina. Imò Breviarium anno 1568. approbatum à *B. Pio V.* declinavit ab antiqua lectione, quià addidit translationem à Benevento Romam per hęc verba: *Postremò Romam ab Othone II. Imperatore, Greg. V. Pontifice Maximo portatum, in Tyberis insula in Ecclesia ejus nomini Deo dicata collocatum fuit*. Ex quibus duæ claræ colliguntur contradictiones cum lectionibus Breviarii sub Clemen-

te

æ VIII. Prima, quià in *Clementino* non *Otho II.* sed *III.* ponitur Author transportationis. Secundò, quià dicitur, quod transportatio fuit sub Gregorio V., quem certum est fuisse electum Papam anno 996. juxtà *Baronium* eodem anno *num.* 2. & sic tredecim annis post mortem *Othonis II.*, qui obiit anno 983., ut suprà visum est; & posteà in Breviario *Clementino* fuit error iste emendatus,& notata fuit transportatio ab *Othone III.* In quibus variationibus certitudo non subsistit.

Sed, & ejusdem ponderis est lectio illa *Martyrologij Rom.* sub die 25. *Augusti*, in quo idem legitur, quod in Breviario; & in *cit. discursu* super existentia Corporis Divi Bartholomęi *fol.* 79. §. *così cum seq.* sunt reportatæ aliæ ęquivocationes ejusdem Martyrologii habitæ à *Baronio*. Et ipse *Baron. in epist. data ad Lectorem in Martyrologio impresso anno* 1584. sic protestatus fuit: *Homines sumus omnes; nec nobis ipsis tantùm tribuimus, ut nusquam putemus offendisse*; & Gregor. XIII. super eodem *Martyrologio* expressit, fuisse per *eruditos viros ad fidem historiæ &c. correctum, & multis in locis auctum*; & mandavit, *ut Clerici hoc utantur, nulla re addita, mutata, adempta*; sed non prohibuit, quìn alii accuratiùs examinarent, ut practicarunt *Ferrar.*, laudatissimus modernus *Olstenius*, *Castrotornellius de la Puente*, *doctissimus Petavius, ac Molanus*. *Et Baronius ipse* in Annalibus anno 236. *num.* 5. contrà Martyrologium Romanum, & suasmet adnotationes ad idem Martyrologium sub die 3. mensis Julii non consensit Corpus S. Thomę Apostoli, saltem integrum, fuisse translatum Edessam, & per consequens nec Orthonam; Placet transcribere hic §. *integrum* Eminentissimi Authoris, qui licèt ortum habuit in hoc nostro Regno, inficiatur tamen in eodem Regno quiescere duo Apostolorum Corpora hic Sancti Bartholomæi, Orthonę S. Thomæ: sequuntur verba: *Fertur hoc anno, bello Persico confecto, translatum fuisse ex India Corpus S. Thomæ Edessam, sed quod absque antiquorum testimonio traditur, fides sit apud auctorem. Cæterum haud ipsum integrum transferri permissum certum est; nam Indi adhuc se illud possidere profitentur, quod, & qui res Indicas nostri temporis sunt profecuti, testantur.*

Æquivocationes in Martyrologio.

Inquirentes ergo veritatem facti tàm pregrandis, putamus non errare, si lectionibus Breviarii Romani, & Martyrologii non quiescimus, sequentes consilium sapientissimi *Baronii anno* 302. *num.* 104. ibi: *Cæterum eandem ipsam Romanam Ecclesiam non sicut evangelium (quod Gelasius monuit) legere consuevisse, vel legenda proponere qualibet SS. acta; sed potius ea cuncta Apostolica illa lance libranda retinquere: Omnia probate, quod bonum est tenete.* Ex quibus omnibus concludendum venit debere nos quiescere veritati firmatæ per demonstrationes, Constitutiones tot summorum Pontificum, Archiepiscoporum, & Regis Ladislai

Consilium Baronii de Breviario, & Martyrologio.

Reassumptio omnium jurium.

D testi-

testimonia; & quæ in contrarium obstare videntur, aperto nisi errore demonstratum est. Imo & standum est oculari demonstrationi factæ Beneventi anno 1338. aperta urna, visisque sacris Reliquiis coram Episcopis Comprovincialibus, ut suprà diximus *num.XXI.*

§. XI.

Translationes usque ad annum 1691. Sacri Corporis Divi Bartholomæi cultus continuatus.

IPsum igitur sacrum Corpus, modo superiùs expresso, à Liparitana insula ad hanc Civitatem translatum, & in Capella Cathedralis ab Urso Pontifice repositum, ac in Cava aliquando reconditum, & posteà anno 1338. translatum ad proximam Ecclesiam ipsi Apostolo dicatam, repositumque in particulari illius sacello, fuit demum anno 167.. sub die xi. Junii ab Archiepiscopo Foppa cum sua capsa ærea, (procurata ab Arnaldo, prout enunciatur in ejus diplomate *num.XXI.*) translatum, & repositum sub stipite Altaris martyrii, seù confessionis ejusdem Sancti, ut notatum est suprà *num.XXXII.* Necessum tamen fuit ex causa permagni terræmotus suborti die v. Junii 1688., à quo Civitas ista in ruinam redacta fuit, & ipsa Ecclesia S. Bartholomæi funditùs decidit, priùs ingentem ruderum maceriem desuper collapsorum indè detrahere, & posteà sub die 7. Februarii sequentis anni 1689. sacrum depositum è ruinis levare, & in Ecclesiam Metropolitanam pro securitate transferre de speciali mandato Eminentiæ Vestræ (tunc Neapoli degentis ob residuum adversæ valetudinis contractæ sub lapidibus, quibus penè obruta fuit in ipsa clade) præsente Reverendissimo Domino Vicario vestro Generali, Reverendissimo Metropolitano Capitulo, MM. RR. DD. Dignitatibus, & Canonicis ipsius Collegii S.Bartholomæi; necnon Illustrissimo Magistratu, aliisque quamplurimis ex nobilibus familiis Civitatis, & populo ferè innumero, & invenerunt sub stipite memorati Altaris *arcam sacri Depositi ex ære cyprio longitudinis palmorum trium cum dimidio, & uno digito: latitudinis palmorum duorum dempto quarto: altitudinis palmorum duorum cum dimidio; formaque arcæ oblonga, in summitate acuminata, & in parte anteriori figuris ex eodem metallo ornata; scilicet figura Salvatoris inter duos Angelos candelabra manibus gestantes, inferiùs verò figura Divi Bartholomæi inter duos Angelos genuflexos thuribula in manibus habentes; & in hac parte duabus seris ferreis muniebatur, nec aperiri poterat, quià claves non reperiebantur; ex parte verò posteriori ornata tribus Episcoporum figuris infulatorum, & vestibus Pontificalibus indutorum, quorum nomina ignorantur; similitèr & Episcoporum duæ figuræ singulæ in singulis late-*

Translatio ad Metropolitanam in loco depositi die 7.Febr.1681

late-

lateribus; *suprà arcam verò inventa fuere duæ statuæ parvulæ, nempè B. Mariæ Virginis, & Divi Joannis ex eodem metallo cyprio; nec non duo flores cum pomis, & statuis parvulis ejusdem materiæ*. Quæ quidem arca assistentibus omnibus prænominatis processionaliter, intervenientibus Confraternitatibus, Clero Urbano, Collegiis S. Spiritus, & S. Bartholomæi, ac Reverendissimo Capitulo Metropolitano ad numerum fermè centesimum cum intorticiis accensis, & innumero populo translata fuit stato ritu in Metropolitanam Ecclesiam, & in Altare marmoreo ad hoc destinato, sito in capite quintæ navis ad ipsius Ecclesiæ dexteram, ad sinistram verò ingredientis posito, & propriè quod turrim respicit campanariam, inclusa fuit per *modum provisionis*, & *non aliter*, *&c.*: quod *Altare fuit undequaque fabrica munitum*; *itaut arca prædicta minimè amoveri posset, nisi amoto Altari*; ut clariùs legitur ex publico instrumento per acta Rev. D. Martii Canonici Lizzæ publici Apostolica auctoritate Notarii sub dicta die 7. *Febeuarij 1689.*

Et quia MM. RR. DD. Dignitates, & Canonici ejusdem Sac. Basilicæ Divi Bartholomæi ex motivo, quod capella, seù Altare marmoreum, in quo repositum erat sacrum ipsum depositum, in nobiliorem formam construendum erat, & necesse erat interim arcam prædictam removeri, ac decenti in loco conservari, hinc sub die *prima mensis Augusti 1691*. ipsis instantibus, coram Reverendissimo Domino Vicario Generali remota fuit mensa lapidea tegens stipitem Altaris prænominati; & quatuor Canonici Sacræ Basilicæ S. Bartholomæi Canonicalibus insignibus induti, arcam extraxerunt, & super mensam nuceam holoserico ornatam statim apposuerunt in præsentia aliquorum Capitularium Ecclesiæ Metropolitanæ, & aliarum Dignitatum, & Canonicorum præfatæ Basilicæ, necnon coram Ill. DD. nobilibus; & illicò observata ipsa capsa, visum fuit; quod duæ seræ ferreæ, quæ arcam muniebant, & illam aperiri prohibebant (ut inventum fuit in prçcedenti instrumento) erant amotæ. Verùm, illicò factis diligentiis de tali accidenti, compertum fuit, quod parvuli clavi ipsas seras configentes, erant temporis antiquitate, & ærugine corrosi, & ob commotiones passas tùm in terræmotu, & ruina Ecclesiæ, tùm in aperitione Altaris martyrii, & hujus secundi Altaris, ubi repositum fuerat loco depositi, erant rupti; & stante quod ex isto accidenti ipsa arca ex ære cyprio ampliùs munita non mansisset, per eundem D. Vicarium Generalem mandatum fuit interiùs observari, qua aperta visum; & compertum fuit in eadem arca adesse *aliam antiquissimam capsulam, seù arculam marmoream parum acuminatam, & circumcircà ab omnibus quatuor lateribus marmoreis incisam liliis*. *Arcula verò prædicta erat altitudinis palmi unius, & unius unciæ: longitudinis similitèr palmi unius*,

Sacrum depositum levatur causa refectionis capella die 1. Augusti 1691.

Clavi configentes seras arcæ corrosi, & motibus rupti.

D 2 & un-

& unciarum trium cum dimidio : latitudinis verò unciarum decem ; alligata cordulis parvi fili canapis agglobinatis , pluribus in partibus cursu temporis consumptis; & super iisdem cordulis parvis, scilicèt in capite sigilla quinque in cera hispanica , nempè tria magna , & duo parva ; necnon alia duo parva sigilla suprà eandem per modum Cruci ; & circumcircà alia sigilla tria magna cum effigie B. Mariæ Virginis, & Archiepiscopi pro tempore cum parva mitra, in quorum uno observatum fuit adesse aliquam Aquilam impressam , cætera verò non poterant cognosci ob temporis vetustatem . Quibus sic actis, arca ex ęre cyprio fuit denuò clausa, & alligata tribus in partibus, nempè in medio & à duabus extremitatibus tribus vittis sericis albi, rubri, & nigri coloris, & super nodis sigillata tribus parvis sigillis ex cera hispanica , nempè in medio sigillo dicti Domini Vicarii Generalis nomine Eminentissimi Archiepiscopi : à latere dextero sigillo Reverendissimi Capituli : à latere sinistro Illustrissimæ Civitatis ; quæ quidem arca sic obsignata, statim fuit recondita in quadam capsa nucea tribus munita clavibus , nempè una , cum qua clausit D. Vicarius Generalis , quam relaxavit penès M.R.D. Antonium Pirotti Priorem dicti Collegii S. Bartholomæi; alia, qua clausit Perillustris, & admodum Reverendus Dominus Agnellus Rendina Protonot. Apostolicus Bibliothecarius Ecclesię Metropolitanæ; tertia verò, qua clausit Illustriss. Dominus Jo: Baptista de Majo Primus ex Consulibus Civitatis. Quæ arca sic benè clausa fuit aptata ad modum Altaris cum candelabris , & lampadibus , ac exposita publicæ venerationi in prima Capella dictæ quintæ navis , & mandatum fuit custodiri tàm de die, quàm de nocte per MM.RR.DD. Dignitates, & Canonicos dictę Sacrę Basilicæ Divi Bartholomęi, donec &c. prout continuò fuit exequutum ; quæ omnia latiùs patent ex *publico instrumento per acta ejusdem Can. Martii Lizza Notarii Apostolici sub die prima Augusti 1691.*

Fili canapini arcula lapidea corrosi.

Et posteà, quià Altare fuit denuò constructum, sub die *nona* ejusdem mensis Augusti idem Dominus Vicarius Generalis, pręsentibus nonnullis Dominis ex Reverendissimo Metropolitano Capitulo , & Basilica Divi Bartholomæi , facto accessu ad Cathedralem , mandavit benè observari dictam capsam nuceam , de qua suprà, & inventa fuit benè clausa; illaque fuit aperta per supranominatos, in quorum posse claves remanserunt; & visa , ac reperta fuit capsa ex ære cyprio , ut suprà obsignata , benè clausa cum recognitione Sigillorum ; & insupèr pro majori custodia munita fuit aliquibus ferris ad filum attenuatis , & duplicatis in tribus partibus, nempè in medio , & à duabus extremitatibus , super quibus tres facti fuerunt nodi ex ipsomet ferro ; & in unoquoque nodo impositum fuit plumbeum Sigillum, videlicet in medio illud Eminentiss. Archiepiscopi, à latere dextero illud

Reponitur sacrum depositum in Altari noviter constructo die 9. Aug. 1691.

illud Reverendissimi Capituli, & à sinistro illud Illustriss. Universitatis, & ipsa tria Sigilla benè illita fuerunt stanno, nè arca prædicta amplius aperiretur; & sic denuò recondita fuit in Altari novitèr constructo in capite quintæ navis, quę turrim respicit campanariam, ubi prius reposita fuerat, & mensa lapidea superposita, & fabricata fuit, ut nullo modo abstrahi posset, ut pleniùs legitur ex *publico instrumento per acta ejusdem Can. Martii Lizza Notarii Apost. sub dicta die nona mensis Augusti* 1691.

Quià verò tempore sigillationis factę in memorata capsa, Eminentia vestra erat Romæ in Conclavi, postquam de ea te certificatus fuit, mandavit tamquam attentatum removeri; cum solius sit Episcopi sacras Reliquias vindicare, & identificare. Hinc sub *die quarta Septembris ejusdem anni*, Illustriss. & Reverendiss. Dominus Pompejus Sarnellius, nunc Episcopus Vigiliarum, tunc vester Auditor generalis, vocatis, & in pręsentia DD. Capitularium, & Consulum Civitatis, amota mensa, & extracta capsa, amoveri, & deleri fecit sigilla tùm in cera hispanica, tùm in plumbo impressa in capsa ex ære cyprio, & apposuit tria alia sigilla in plumbo Eminentiæ Vestrę, & arca iterum fuit reposita in memorato Altari, quod fuit statim fabrica firma occlusum, ut pleniùs legitur ex *publico instrumento per acta antedicti Canonici Martii Lizza Notarii Apostolici sub dicta die quarta mensis Septembris* 1691.

Arca iterùm levatur, sigillatur, & clauditur 4. Sept. 1691.

§. XII.

Sacro Corpori S. Bartholomæi continuandus cultus antiquissimus. Idem in propria Ecclesia restituendum; ac tutè, & decentiùs reponendum.

PErstringendo itaque omnia jura, inficiari nemo potest Ecclesiam Beneventanam verè fuisse conservatricem Sacri Corporis Divi Bartholomęi ex translatione hùc facta ab insula Liparitana; undè dicendum est semper pro ea esse præsumendum, donec ex adverso doceatur in contrarium; *ex cap. licèt causam de probat. Rota in recent. Dec. 3. num. 1., & apud Coccin. Decis. 325. per totam, cum innumeris aliis*. Jura verò, quæ in contrarium adducuntur, nullam adstringunt fidem, ut supra visum §. *V. usque ad* §. *X.* Nec etiam potest ex adverso allegari quasi possessio diutina hujus Sacri Corporis, quià fuit contradicentibus semper Beneventanis, qui proprium habuerunt, & habent titulum, *ut suprà visum est à* §. *1. usque ad* §. *V., Mantica Dec. 322. num. 3. Post. de manut. obser 71. num. 4., & post tractatum Dec. 46. num. 5.* Extrà quod ista quasi possessio ex aduerso allegari non potest, quià esset de directo contra Bullas *Leonis IX., & Stephani IX.*, de quibus §. *3. nu. XIX., & XX.*, & diceretur possessio infecta, & nul-

lius

lius considerationis, ut pluriès dixit *Rota apud Posium in cit. tract. obser. 46. n. 4. & seq.* Nec *Otho* aliquam recepit authenticam de his Sacris Reliquiis à Pontifice Beneventano; cui soli, & non Principi Laico competit Sac. Reliquias vindicare, & legalizare, *Fagnan. in cap. cum ex eo n. 18. de reliquiis, &c.*, & è contra actus quasi possessorii hujus cultus, & venerationis semper apparent continuati pro Beneventanis, etiam ab iis, qui Romæ fuerunt, ut visum est §. I de visitatione *Suggerii Abbatis, Imperatricis Floridæ, S. Birgittæ num. III., IV., & VII.*, & aliorum. Undè Sacrum istud Corpus Divi Bartholomæi in ista Civitate existens est habendum in eadem vera veneratione, in qua hactenùs habitum fuit ab Archiepiscopis, qui illud solenni ritu diversis de causis pluriès transtulerunt: à Clero Diœcesano, qui singulis annis cum prece publica, (undè Synodus Litaniarum dicitur) Apostoli Limina visitaverunt, & visitant; necnon ab universo Populo Urbano, Diœcesano, finitimo, & extero; ut pluriès declaravit S. Congregatio apud *Gavan. in enchyr. Episc. verbo Reliquia Sanctorum n. 11., Barbos. in Summa Decis. Apost. verbo eodem §. 3., & de potest. Episcopi alleg. 97. n. 11. Naldus in summa verbo Reliquiæ Sanctorum n. 1, & novissimè Pignatell. to. 6. consult. 61. n. 15.* refert dec. S. Congreg. Concilii in Urbinat. 10. Martii 1663. ibi: *Sanctorum Reliquiæ antiquæ habendæ sunt in illa veneratione, qua huc usque fuerunt.*

Otho non recepit authenticam à Pontifice Beventano.

Quià verò Eminentiss. Præses, Illustriss., & Reverendiss. DD. Ecclesia S. Bartholomæi ruinis terræmotus jam collapsa, rursus à fundamentis erecta est, sumptu hucusque ducat. duodecim millium ex pia contributione Eminentiæ Vestræ, Cleri, & Communitatis, necnon ex eleemosynis Diœcesis, & Provinciæ, item & Altare majus ex vario, & pretioso marmore etiam in camera pro urna ibidem recondenda, nempè intùs, & foris elegantissimè elaboratum, Eminentiæ Vestræ sumptibus erectum est, & in ea Ecclesia Divina persolvuntur, & ipsi Dignitates, & Canonici memorati, & Communitas petunt restitutionem Sac. Corporis Divi Bartholomæi, loco depositi, in Metropolitanā translati, ut suprà visum; cui restitutioni dat suas manus Capitulum Metropolitanum: est & etiam necesse, ut ipsum Sacrum Corpus in firmiori, ac decentiori Urna reponatur & muniatur, stante quod capsula lapidea, in qua asservatur, inventa fuit hebere filos canapinos vetustate ferè corrosos, & sic sine cautela in similibus requisita; Supplicant humillimè ipsam restitutionem, & repositionem in propria Ecclesia fieri cum nobiliori, & tutiori forma ad majorem Dei, ejusque Sanctissimi Apostoli gloriam sub cæremoniis, & ritu meliùs summæ pietati, & altissimæ religioni Eminentiæ Vestræ, & Illustriss. Episcoporum visis, scripturasque necessarias ad perpetuam memoriam extrahi, & recipi &c. ut Deus &c.

BE-

BENEVENTANA

TRANSLATIONIS CORPORIS S.BARTHOLOMÆI.

Libellus controscriptus fuit præsentatus in prima Congregatione Synodali secreta sub die 2. mensis Maii 1698. & fuit datus Ponens causæ Illustriss.& Reverendiss.Dominus Episcopus Lucerinus, & Promotor Fiscalis Illustriss. & Reverendiss. Dominus Episcopus Thermulanus, qui ser. ser. compilaverunt processum, fueruntque compulsatæ scripturæ, & extractæ aliæ copiæ Instrumentorum: & citata parte sub die 9. ejusdem mensis, fuit in Congregatione publica Synodali, habita die 10. ipsiusmet mensis, latum decretum, quod est tenoris sequentis.

IN causa vertente in secundo Sacro Concilio Provinciali inter MM. RR.DD. Dignitates, & Canonicos Collegii S.Bartholomæi Apostoli hujus Civitatis, & Reverendiss. Capitulum Metropolitanum, & Illustriss. Magistratum, & Communitatem Civitatis ejusdem, illis adhærentes, actores ex una parte; & Illustriss. ac Reverendiss. Dominum Episcopum Thermulanum Promotorem Fiscalem in præsenti causa deputatum ex altera, de, & super restitutione petita Sacri Corporis Divi Bartholomæi Apostoli, causa depositi, à memorata Sacra Basilica ejusdem Sancti, ob terræmotum anni 1688. funditus collapsa, ad Ecclesiam Metropolitanam ejusdem Civitatis asportati, & reconditi sub Altari S. Mariæ Majoris intus ipsam Metropolitanam, & aliis, prout ex actis, &c.

Die 10. mensis Maii 1698.

In Congregatione publica Synodali habita in Aula magna Archiepiscopii, intervenientibus in ea SS. PP. nempè Eminentiss. & Reverendiss. in Christo Patre, & Domino, Domino Fr. Vincentio Maria Ord. Præd. miserat. Divina Tit. S. Sixti S.R.E. Presbytero Cardinali Ursino S. Beneventanæ Ecclesiæ Archiepiscopo Metropolita Præside, & Illustrissimis, & Reverendissimis D.D. Episcopis Comprovincialibus, hoc est: P. Cœlestino de Labonia Episcopo Montis-marani: P. Josepho de Lazara Episcopo Aliphano: P. Francisco Scanegata Episcopo Abellinensi, Frequentino, Aquæ putridæ, seu Mirabelli, & Quintodecimi: P. Angelo Ceraso Episcopo Bibinensi: P. Francisco Antonio Punzi Episcopo Asculano, & Ordonensi: P. Francisco Antonio Jannone Episcopo Bojanensi, & Sæpinensi: P. Josepho Catalano Episcopo Larinensi: P. Dominico Morelli Episcopo

Luce-

Lucerino, Florentino, & Turtibulen. : P.Michaele Petitro Episcopo Thermulano : P. Pompejo Sarnellio Episcopo Vigiliensi ad votum decisivum admisso , & vice Metropolitani Capituli Abbatis Oppidi S. Lupi,nullius : P. Francisco Protonobilissimo Episcopo Trivicano : P. Blasio Gammaro Episcopo Thelesino : P. Hiacyntho de Calce Episcopo Arianen : P. D. Vito Antonio Pastorale Abbate Generali Montis-virginis : M.R.D.Augustino Fantetta Vicario Generali Oppidi Alberoni,nullius , votum decisivum habentibus; & Procuratoribus Episcoporum absentium, hoc est M.R.D. Primicerio Jacobo Antonio de Antonellis Procuratore P. Jacobi Circi Episcopi S. Agathæ Gothorum, & Sessulæ: M.R.D.Antonio America Archipresbytero Oppidi Mottæ Procuratore P.Dominici Surrentini Episcopi Vulturariensis , & Montis-corbini : Ven. Presbytero Nicolao Scorza Procuratore P.Caroli Felicis Matta Episcopi S.Severi, Civitatensis, & Dragonariensis. Rev. Dom.Jacobo Antonio Canonico Florentino Procuratore P.Philippi de Corduba Episcopi Guardiæ Alferiæ: Necnon Adm. Reverendis Theologis Synodalibus , hoc est D.Joanne Jordano Prot. Apost. Canonico Abellinensi : D. Michaele Ramamondi Prot.Apost. Theologo Patris Episcopi Trojani: P.Nicolao Squillante Congregationis Oratorii : P.Joanne Baptista Mongiò Ordinis S.Benedicti Congregationis Cœlestinorum Priore : P. Magistro Fr. Joanne Baptista Spada Ursino Exprovinciali Ordinis Prædicatorum: P.Magistro Fr.Petro Antonio Caballo Ordinis Prædicatorum:P.Sebastiano Jascone Ordinis Minorum S.Francisci de observantia Exprovinciali,& Lectore jubilato: P.Magistro Fr.Anselmo Sabbatino Exprovinciali Ordinis Minorum Conventualium S.Francisci : P. Magistro Fr. Alberto Annubba Exprovinciali Ordinis Carmelitarum : P. Fr. Hieronymo à S.Nicolao Exdiffinitore Ordinis Carmelitarum Discalceatorum: P.Dominico Viva Soc.Jesu : Viso libello porrecto per Oratores ; visis scripturis omnibus ad formam juris compulsatis,& extractis; visa monitione facta super expeditione causæ, referente P.Dominico Morelli Episcopo Lucerino causæ Ponente: audito Patre Michaele Petitro Episcopo Thermulano Promotore Fiscali, consideratis, & rimatis omnibus in jure , & in facto considerandis, auditisque votis consultivis , & concordibus supradictorum R.R. Theologorum , Sancta Synodus plenis votis, & nemine penitus discrepante, decrevit, quod sacrum Corpus Divi Bartholomæi Apostoli in Ecclesiā Metropolitanā, depositi causa, asportatum Anno Domini 1689. die 7. Februarii, prout ex publicis Instrumentis in actis, &c. Elevetur ab Altari S.Mariȩ Majoris,sub quo reconditur;canonicè Recognoscatur; deindè Reponatur in tutiori Urna,& tandem stato ritu,Sacræ Basilicæ in honorem ejusdem Sancti erectæ, Restituatur , &

pro

pro effectu prędicto cętera alia fiant juxtà facros Canones, facrofque ritus, & Ecclefiafticas Cęremonias in his pręfcriptas, & ità, &c. omni, &c.

Ita Ego Fr. Vinc. Maria Card. Archiepifcopus Metropolita de confenfu, & affenfu Reverendiffimorum Dominorum Coepifcoporum meorum pronunciavi, & diffinitivè fententiavi.

P. Can. Sanctorius Curiæ Archiepifcopalis Cancellarius, & Cauſæ Not. dep.

Primum Inftrumentum Elevationis Sacri Corporis S. Bartholomæi fub die XI. Maii 1698.

IN DEI NOMINE AMEN.

PRęfenti hoc publico Inftrumento cunctis ubique pateat evidentèr, & notum fit, qualiter hodie XI. menfis Maii 1698. Indictione VI. pro executione decreti lati in publica Congregatione Synodali habita heri X. currentis menfis Maii poft Vefperas in aula majore Archiepifcopii, Eminentifs. & Reverendifs. in Chrifto Pater, & Dominus, Dominus Fr. Vincentius Maria Ordinis Prædicatorum miferatione Divina Tit. S. Sixti S.R.E. Presbyter Cardinalis Urfinus Archiepifcopus Metropolita, cum Illuftriffimis, & Reverendiffimis Dominis Epifcopis Comprovincialibus, v3. Patre Fr. Cæleftino de Labonia Ord. Eremitarum Difcalceatorum S. Auguftini Epifcopo Montis Marani, Patre Jofepho Lazara Clericorum Minorum Epifcopo Aliphano, Patre Francifco Scanegata Epifcopo Abellineñ, Frequentino, Aquæ putridæ, feù Mirabelli, & Quintodecimi, Patre Angelo Cerafo Epifcopo Bovini, Patre Francifco Antonio Punzi Epifcopo Afculano, & Ordonenfi, Patre Francifco Antonio Giannone Epifcopo Bojanen, & Sepini, Patre Jofepho Catalano Epifcopo Larineñ, Patre Dominico Morelli Epifcopo Luceriæ, Florentini, & Turtibuli, caufæ Ponente, Patre Michaële Petirro Epifcopo Thermulano, Caufæ Promotore Fifcali, Patre Pompejo Sarnellio Epifcopo Vigilieñ ad votum decifivum admiffo, & vice Metropolitani Capituli Abbatis Oppidi S. Lupi, nullius, Patre Francifco Protonobiliffimo Epifcopo

Acceffus.

Nomina Patrum.

Trivicano, Patre Blasio Gammaro Episcopo Thelesino, Patre Emilio Jacobo de Cavaleriis Episcopo Trojano Eligente, Patre Hiacyntho de Calce Guevara Cleric. Regul. Episcopo Arianen; Nec non Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Patre Catolo Cutillo Ord. S. Benedicti Congregationis Montis Virginis Episcopo Minoresi, qui ad sacras functiones honestandas advenerat, Reverendissimo item Patre Domino Vito Antonio Pastorale Ordinis S. Benedicti Abbate Generali Congregationis Montis Virginis, & M. Rev. D. Augustino Fantetta Vic. Generali Alberoni nullius, votum decisivum habentibus; Quatuor insuper DD. Procuratoribus Illustriss. & Reverendiss. DD. Episcoporum Comprovincialium absentium, nempè M. Rev. Domino Jacobo Antonio de Antonellis Primicerio Procuratore Patris Jacobi Circi Episcopi S. Agathæ Gotorum, & Sessulæ, M. Rev. Domino Antonio America, Archipresbytero Procuratore Patris Dominici Sorrentini Episcopi Vulturarien, & Montis Corbini, Ven. Presbytero Nicolao Scorza Procuratore Patris Caroli Felicis Matta Episcopi S. Severi, Rev. Domino Jacobo Antonio Florentino Can. Proc. Patris Philippi de Corduba Episcopi Guardiæ Alferiæ: Interveniencibus etiam infrascriptis DD. Dignitatibus, & Canonicis S. Metropolitanæ Ecclesiæ, scilicet Perillustribus, & Admodum RR. DD. Paulo Farelli S. Th. Doctore Protonotario Apostolico Archidiacono, Joanne de Nicastro V. J. D. Prot. Apostolico Archipresbytero, Aloysio Antonio Ayello S. Th. Doctore Prot. Apostolico, Primicerio primo, Andrea Moscarelli Prot. Apostolico Primicerio secundo, Benedicto Mariella S. Th. P. Thesaurario, Agnello Rendina V. J. D. Prot. Apostolico Bibliothecario; Nec non Illustribus, & admodum RR. DD. Canonicis Josepho Musto, Mattheo de Matthia, Scipione Perrotti, Iosepho de Martino, Vincentio de Vita S. Th. Lic. Pœnitentiario Majore, Scipione Carissimo, Bartholomeo Feola Protonotario Apost., Nicolao Saracino Sacrista Majore, Dom. Rossi Sacr. Cæremoniarum Magistro, Vincentio Cassella, Hieronymo Colle, Francisco Antonio Fini Protonotario Apostolico, Carolo Maurone V. I. D. & Antonio Romano: Ac M. RR. DD. Dignitatibus, & Canonicis Sac. Basilicæ Sancti Bartholomæi, nempè Antonio Pirrotti Priore, Josepho Pennino Decano, Ianuario Alferio V. I. D Protonotario Apostolico, Præposito, Iosepho de Leone Primicerio, & RR. DD. Canonicis Vincentio Tricarlonio, Marco Antonio Zainella, Dominico Volpe, Marco Antonio Cifaldi, Martio Lizza, & Francisco Coscia, omnibus suis Canonicalibus habitibus, respectivè, indutis; Nec non infrascriptis Theologis Synodalibus, idest M. R. Domino Michaele Ramomondi Protonotario Apostolico M. RR. Patr. Nicolao Squillante Congregationis Oratorii, Patre Domino Joan-

Procuratores Patrum absentium.

Capitulum Metropolitanum.

Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ S. Bartholomæi.

Theologi.

Joanne Baptista Mongiò Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cælestinorum, Patre Fr. Joanne Baptista Spada Ursino Exprovinciali Ordinis Prædicatorum, Patre Magistro Fr. Joanne Michaele de Cavaleriis ejusdem Ordinis, Patre Fratre Petro Antonio Caballo ejusdem etiam Ordinis, Patre Fr. Sebastiano Jascone Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Exprovinciali, Patre Magistro Fratre Anselmo Sabbatino Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium Exministro Provinciali, Patre Magistro Fratre Alberto Annuba Ordinis Carmelitarum Exprovinciali, & Patre Fratre Hieronymo à Sancto Nicolao Exdiffinitore Ordinis Carm. Discalceatorum: Assistentibus etiam Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Ioanne de Effectibus Gubernatore, & Dominis Comite Iosepho Capasso, Nicolao de Sotiis Carafa Barone, Antonio Pisano, Didaco Trabucco Doctore Physico, Antonio Baltassarro, Francisco Bertuccio, Iosepho Iannasso, Francisco de Iasio ex Illustrissimo Magistratu hujus Civitatis; ac Scipione Vassallo Syndico, & Notario Petro Paulo de Auria Secretario ejusdem; & una nobiscum Notariis infrascriptis ad hunc actum specialiter vocatis, & testibus infradicendis rogatis, Accessimus ad Metropolitanam Ecclesiam, & propriè ad Altare sub titulo Sanctæ Mariæ Majoris, sub quo repositum fuit sacrum Corpus Sancti Barthomæi, prout ex publicis Instrumentis Rogato Martio Canonico Lizza Notario Apostólico sub diebus septima Februarii 1689. prima, & nona Augusti 1691. & 4. Septembris ejusdem anni: Qui quidem Eminentiss. Archiepiscopus, una cum dictis Illustrutriss. & Reverendiss. DD. Episcopis, Dignitatibus, & Canonicis, Illustrissimo Domino Gubernatore, & Magistratu in propriis locis, cum faldistoriis, scamnis, & sedibus Cameralibus respectivè præparatis, absolvit septem Psalmos Pœnitentiales: quibus absolutis, cum supradictis omnibus ad Secretarium processionalitèr accessit, ubi paramenta Pontificalia accepit, prout fecerunt Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Episcopi Bibinen., Thermularum, & Vigilien., cum quibus deindè etiam processionalitèr ad memoratum Altare S. Mariæ majoris regressus fuit: & stans ante illud sine mitra, inchoata Antiphona, *Adesto Deus, &c* recitavit orationem: *Actiones nostras, &c.* & mitra reassumpta, sedit in faldistorio: & assistentibus Illustrissimis, & Reverendissimis Dominis Episcopis Lucerino Ponente, & Thermularum Promotore fiscali, fuerunt vocati antedicti Domini Bibliothecarius Agnellus Rendina, & Domini Canonici Scipio Pirotti, & Scipio Carissimus, qui inter alios interfuere in ultima clausura ipsius Altaris, facta sub dicta die 4. mensis Septembris 1691. vigore supraenarrati instrumenti; & etiam Vitalianus Sammarco, Petrus Pagano, & Dominicus

Gubernator cum Magistratu.

Orationes.

Post orationes accessus ad Secretarium.

Recognitio Altaris.

Brencola Civitatis Neapolis fabrimarmorarii, in hac Civitate degentes, quibus demandatum fuit benè observari, & inspici Altare ipsum, nùm sit undequaque benè, & tutè fabrica obseratum, & sit sub eadem forma, & modo in singulis ejus partibus, prout relictum fuit in ultima clausura coram ipsis facta sub dicta die 4. Septembris 1691: Qui diligentissimè Altare ipsum observaverunt, & inspectione, ac observatione facta iidem Domini Canonici, & fabri dixerunt, altare ipsum ex omni sua fabrica benè compactum, & firmum, ac nullam factam fuisse in eo motionem; præfati quoque Domini Capitulares subjunxerunt se ipsos fuisse præsentes in clausura facta dicti Altaris, quando sub dicta die 4. Septembris 1691. fuit ibi reposita capsa Sacri Depositi Corporis Divi Bartholomæi, & ab eo die usque ad præsentem nunquam fuisse amotum, vel apertum, sed semper mansisse, prout ad præsens manet clausum. Quibus sic auditis, Eminentissimus Archiepiscopus, sumpto scalpello ferreo cœpit dislocare lapidem ipsi Altari appositum, & posteà jussi fuerunt supradicti Marmorarii, ut aperitionem Altaris prosequerentur, prout fecerunt; & unci ferrei, ad majorem cautelam deintus appositi, ut in præcitato instrumento sub die 4. Septembris 1691. fuerunt inventi firmiter se habere: quibus postea amotis, apertum fuit Altare, & apparuit capsa ærea Sacri Depositi, quæ fuit extracta per quatuor Dominos Mansionarios Ecclesiæ Metropolitanæ, ex quorum manibus illam acceperunt Eminentissimus Metropolita, & Domini Episcopi Bibinen, Thermularum, & Vigiliarum, illamque reposuerunt super mensam ligneam extra cancellos dicti Altaris paratam, & mappa coopertam: & adstantibus ipsis met DD. Episcopis Lucerino Ponente, & Thermulano Promotore fuit capsa prædicta de eorum ordine per Dominum Canonicum Antonium Romano mensura lignea dimensa, & fuit inventa esse longitudinis palmorum trium cum dimidio, & uno digito, latitudinis palmorum duorum dempto quarto, altitudinis verò palmorum duorum cum dimidio, & operculum pro tota longitudine acuminatum. In parte anteriori arcæ adest ex, & in eodem metallo figura Salvatoris inter duos Angelos candelabra in manibus habentes, inferius verò figura D. Bartholomæi inter duos Angelos genuflexos, & thuribula in manibus habentes, ex parte verò posteriori tres figuræ Episcoporum infulatorum, & vestibus Pontificialibus indutorum, ac in lateribus similes aliæ duæ figuræ Episcoporum, & supra arcam adsunt duæ statuæ parvulæ ex eodem metallo, nempè B. Mariæ Virginis, & Divi Joannis; necnon duo flores, cum pomis, & statuis parvulis ejusdem materiæ. Capsa igitur ipsa ærea se habens modo superiùs descripto, comperta fuit ligata tribus catenulis compactis ex filis ferreis agglomeratis, quæ singulæ in nodum desinunt, & liquefa-

Aperitio Altaris.

Elevatio Capsæ æreæ, illiusque recognitio.

Dimensio capsæ æreæ.

Descriptio ejusdem Capsæ.

Recognitio capsæ æreæ.

cto plumbo agglutinatæ firmantur; & super nodo catenulæ in medio appositæ apparet impressa bulla plumbea, cum sigillo Eminentissimi Archiepiscopi; & similitèr comperta fuit ligata tribus vittis sericis coloris albi, rubri, & nigri, quarum duæ super nodis sunt firmatæ cera Hispanica sine impressione sigillorum, super tertiæ autem vittæ nodo apparet appositum sigillum ejusdem Eminentissimi Archiepiscopi impressum in cera hispanica. Et ex tunc mandatum fuit, ut Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus Episcopus Vigiliarum, qui capsam ipsam ultimò obsignavit sub die 4. Septembris 1691. prout ex instrumento per acta Notarii Martii Canonici Lizza, necnon Domini Bibliothecarius Agnellus Rendina, Canonicus Scipio Pirottus, & Canonicus Scipio Carissimus, qui interfuerunt memoratæ obsignationi, recognoscerent sigilla, & ligamina, & num sint in eo statu, & forma, prout posita fuerunt tempore clausuræ; qui memorati Episcopus, Bibliothecarius, & Canonici illa viderunt, observaverunt, recognoverunt, & dixerunt, tam sigilla, scilicet unum plumbeum, & alterum in cera hispanica, quàm tria fila ferrea plumbo firmata, quàm etiam tres vittas sericas cera hispanica firmatas, benè se habere, & manere sub eodem modo, & forma, prout fuerunt apposita sub dicto die 4. Septembris 1691. Et ex tunc mandatum fuit removeri, tam bullam plumbeam, quàm sigillum in cera hispanica, quàm etiam catenulas ex filis ferreis, & vittas sericas, quod fuit demandatum fieri, & exequi per Dominos Canonicum Antonium Romanum, & Nicolaum Clemente, & Honuphrium Cardone Mansionarios, qui adhibitis etiam instrumentis ferreis illa amoverunt; & interim à Clero cantati fuerunt psalmi *Misericordias Domini, &c. Exurgat Deus, &c. Cæli enarrant, &c. Benedicam Dominum, &c. Eructavit cor meum, &c. Omnes gentes plaudite, &c. Exaudi Deus deprecationem meam, &c.* Quibus sic amotis aperta fuit capsa ærea, in cujus operculo observatum fuit, adhùc manere pendentes duas seras ferreas, quæ arcam claudebant, ut legitur in primo instrumento sub die 7. Februarii 1689. & per Patres fuerunt visæ, & observatæ, & manibus tactæ, & contrectati fuerunt parvi clavi, qui illas cum capsa configebant, & reperti ærugine corrosi, ac in medio rupti, & adhuc medii ipsis seris firmiter adhærere, prout notatur in instrumento sub die prima Augusti 1691. per acta ejusdem Notarii Martii Canonici Lizza. Apertaque capsa ærea, intus visa fuit alia capsula lapidea ad modum arcæ, quæ fuit per eundem Canonicum Antonium Romano mensurata mensura lignea, & fuit inventa esse altitudinis palmi unius; & unciarum trium cum dimidio: latitudinis verò unciarum decem; in cujus capsulæ quatuor lateribus visa sunt incisa quædam lilia; ipsa verò antiquissima esse dignoscitur. Quæ capsula sic visa, & com-

Appositio. Capsa area.

Capsula lapidea continens Sacrum Corpus D. Bartholomæi

Mensuratio ejusdem Capsulæ.

Descriptio capsulæ.

& comperta manet alligata ad quatuor partes in modum Crucis subtilibus filis canapinis, vulgariter *spago*, & in operculo super ipsa fila visa fuerunt sequentia sigilla impressa in cera hispanica, hoc est tria sigilla magna, & duo parva, necnon alia duo parva sigilla supra eandem per modum Crucis, & circum circa alia tria sigilla magna cum effigie B. Mariæ Virginis, & Archiepiscopi; nec sigilla ipsa ob temporis antiquitatem distinctè potuerunt recognosci, in uno tamen illorum apparet quædam Aquila impressa. Propè ipsam arculam inventum fuit velum parvum coloris albi filo gossipino textum, & in extremitatibus filo aureo vermiculatum, sed ob antiquitatem vix dignosci potuit; inventa

Moneta inventa in capsa ærea.

etiam fuit in angulo capsæ æreæ parva moneta argentea formæ rotundæ, latitudinis unius Julii Romani, quæ ob temporis antiquitatem, & æruginem, ac pulverem non dignoscebatur; verùm illa expolita, & mundata, fuit visa habere impressam ex una parte Crucem liliatam, & circum circa inscriptionem: *Honor Regis judicium diligit*: Ex altera verò parte impressā imaginem Regis cū sceptro in dextera, & in sinistra cum Orbe, duobus verò Leonibus insidentis, & circum circa inscribitur: *Karolus Dei gratia Hierusalem, & Siciliæ Rex*.

Ichnographia monetæ



Quæ moneta sic expolita de ordine Illustrissimorum Patrum exhibita fuit recognoscenda per Antonium Bulifonem Gallum, Neapolitanum Civem ad præsens in hac Civitate degentem, & per Patrem Dominicum Viva Jesuitam peritos in his monetis antiquis; eaque per ipsos benè visa, & recognita, dixerunt illam monetam esse de tempore Caroli Andegavensis Regis Neapolis, qui regnavit cum suis descendentibus in XIII., & XIV. Sæculo. Unde colligi potest fuisse hanc monetam in capsa ærea relictam de tempore illius clausuræ factæ ab Arnaldo de Brusacco Archiepiscopo Beneventano anno 1338., ut ex ejus diplomate in actis hujus causæ. Et tùnc Dominus causæ Ponens elevavit sigilla impressa, & cæpit amovere filos canapinos, qui ad simplicem tactum manus relaxati, & fracti sunt, nam marcidi, & fracidi erant. Arcula igitur ista lapidea sic resignata, & soluta nequaquam fuit aperta, sed è capsa ærea elevata manibus Eminentissimi Metropolitæ, videntibus omnibus Patribus, & posita suprà feretrum holoserico ornatum, & ligata feretro ipsi in quatuor

par-

partibus ad modum Crucis vitta serica rubri coloris; quæ successivè ab Eminen. Archiepiscopo thurificata, Clero canente Psalmos: *Dominus regnavit &c.* & *Jubilate Deo &c.*: *Deus Deus meus*: bajulata fuit processionalitèr, & ad oculum, ac videntibus omnibus memoratis Patribus, Capitulis, & Magistratu, eorum ordine, ad Secretarium ab eodem Eminentiss. Archiepiscopo Metropolita, & DD. Episcopis Bibinen., Thermularum, & Vigiliarum, ut supra paratis: ubi fuit soluta, & reposita suprà mensam mappis coopertam, & sericeis pannis ornatam, ad hunc effectum ante Altare dicti Secretarii paratam. Tùnc præfatus Eminentiss. Archiepiscopus sedit in sua sede, & tres Domini Episcopi, qui feretrum comportarunt paramenta in suis faldistoriis deposuere. Deindè idem Eminentiss. descendens de sede, & ad prædictam mensam accedens, deposita mitra intonavit Hymnum: *Veni Creator Spiritus*: quo persoluto, videntibus omnibus Patribus, aliisque supranominatis, elevavit operculum capsulæ, & visa fuerunt Sacra Ossa Corporis Divi Bartholomæi, supra quæ Ossa aderat lamina plumbea mox describenda, & statim præ lætitia magna fuit cantatus Hymnus: *Te Deum &c.*: & interim rursùs imposito, & benedicto incenso per Eminentiss. Metropolitam, cæpit ipse thurificare Sacras Reliquias, prout successivè fecerunt cæteri Patres, Canonici, & reliqui Presbyteri, qui aderant. Absoluto Hymno, ac decantato per Cantores Vers.: *Benedicamus Patrem &c.*: Ipse Eminentiss. Metropolita cantavit Orationem: *Deus cujus misericordiæ &c.* & successivè reassumpta mitra sedens in faldistorio suo Eminentissimus Archiepiscopus, videntibus omnibus extraxit laminam plumbeam, quæ fuit mensurata, & reperta esse longitudinis palmi unius, & unius unciæ cum uno minuto: latitudinis verò trium unciarum cum inscriptione literis longobardis exarata: cujus exemplum secundum sui longitudinem, latitudinem, & inscriptionem hic inserendum demandatum fuit, & est ut in margine: Et continuatè ipsemet Emin. Archiepiscopus ante conspectum omnium cæpit sigillatìm elevare Sacra Ossa, & statim apparuit altera lamina plumbea antiquissima, quæ similitèr fuit extracta, & observata in extrema parte corrosa, & rupta; mox verò inventum fuit inter alia Ossa petiolum ruptum, quo aptato ipsi laminæ, hæc fuit mensurata, & inventa longitudinis unciarum undecim cum dicto juncto petiolo, & latitudinis unius unciæ, & trium minutorum: est autem literis latinis antiquissimis inscripta, & mandatum fuit hic describi juxtà sui longitudinem, latitudinem, & inscriptionem, & est formæ, & tenoris, prout in margine. Posteà verò ab eodem Emin. Archiepiscopo elevata fuerunt è prædicta capsula marmorea reliqua Ossa, quæ computatis magnis, & parvis numerata fuerunt

Arcula ad Secretarium.

Aperitio capsulæ Sacri Corporis.

Ichnographiam istius laminæ reperies in calce libri.

Ichnographiam hujus secundæ laminæ reperies pariter in calce libri.

runt per dictum Dominum Canonicum Romanum, & per Presbyterum Pompejum Crucianum, & inventa esse in totum num.585., & ultrà supradictum numerum ossium inventa etiam fuerunt innumera alia petiola ossium, quæ ob tenuitatem numerari non potuerunt, præter alia ossa in pulverem redacta: & omnia supradicta sic extracta, fuerunt reposita suprà largas papyros ad hunc effectum suprà mensam ipsam paratas. Quibus sic peractis demandatum fuit recognosci antiquitatem laminarum, & capsæ æreæ superiùs descriptarum per peritos in metallis elaborandis, & vocari Josephum de Luisi, & Carminum Antonium de Aragona Beneventanos, & peritos; ipsisque, ut supra vocatis jam accedentibus interrogati fuerunt Perillustres admodum RR. DD. Aloysius Antonius Ayello Primicerius primus Ecclesiæ Metropolitanæ, qui dixit esse ætatis annorum septuaginta, & Agnellus Rendina Bibliothecarius, qui dixit esse ætatis annorum 37., quibus præstito priùs juramento de veritate dicenda, prout tacto pectore iurarunt, fuit dictum nùm cognoscant supradictos Josephum de Luisi, & Carminum Antonium de Aragona, & quatenus &c. nùm ipsis possit dari fides, si deponerent suprà antiquitatem metallorum æris, ac plumbi; qui dixerunt, quod supradicti Joseph, & Carminus Antonius sunt periti in arte metallorum, & si deponerent super antiquitate metallorum æris, ac plumbi, illis præstanda esset fides; & tùnc exhibitum fuit juramentum supradictis Josepho, & Carmino Antonio de veritate dicenda, & tactis &c. juraverunt, & fuerunt interrogati super ætate, & exercitio, & dixerunt, quod ipse Joseph est filius quondam Sebastiani, ætatis suæ annorum 50., & exercet artem elaborandi, & conficiendi horologia ærea, & scloporum fociles; ac ipse Carminus Antonius dixit, quod est filius Dominici, ætatis suæ annorum 23., & exercet artem fundendi campanas. Rursùs interrogati fuerunt, nùm si ipsis ostenderentur metalla antiqua ærea, & plumbea, recognoscere valerent illorum antiquitatem plurima annorum centenaria excedentem? & responderunt, quod si ipsis ostenderentur metalla ipsa plurima annorum centenaria excedentia, valerent illorum antiquitatem recognoscere. Et ex tùnc per me infrascriptum Notarium de mandato &c. fuerunt illis exhibitæ supradictæ duæ laminæ plumbeæ modo superiùs descripto, ut suprà inventæ cum petiolo rupto, fuitque illis dictum, ut illas recognoscerent, observarent, & posteà suprà illorum antiquitatem deponerent. Qui, illis benè visis, & recognitis, dixerunt, quod lamina major est antiqua scilicet quatuor centum ab hinc annis circitèr facta, alteram verò laminam cum petiolo rupto longè antiquiorem, excedere annos septingentos, quià apparet corrosa, & ex corrosione rupta, & habet

Recognitio antiquitatis laminarum plumbearum, & capsæ æreæ.

& habet spumam plumbeam antiquissimam: petiolum verò ruptum extremitatem ipsius laminę æquat, & habet literas similis formæ, ac sunt literæ majoris partis ipsius laminę; Deindè ex mãdato &c. fuit illis demonstrata capsa ærea, de qua supra, fuitq; illis dictum, ut illam benè observarent, recognoscerent, & posteà super illius antiquitate deponerent: qui illam benè viderunt, & tàm foris, quàm intùs minutim observarunt, & dixerunt ipsam capsam esse antiquitatis annorum quadringentorum circitèr, & ferramenta illam intrinsecus sustentantia videntur ex antiquitate corrosa, deauratio verò intrinseca ad simplicem tactum manus collabitur. Posteà mandatum fuit recognosci antiquitatem capsulæ marmoreæ, & vocari Joannem Raguzzino, & Vitalianum Sammarco marmorarios peritos, & statim sub eodem juramento fuerunt interrogati supradicti DD. Aloysius Ayello Primicerius primus, & Agnellus Rendina Bibliothecarius nùm cognoscant supradictos Joannem Raguzzino, & Vitalianum Sammarco, & quatenùs &c. nùm ipsis possit dari fides si deponerent super antiquitate marmorum, & lapidum, & dixerunt, quod supradicti Joannes Raguzzino, & Vitalianus Sammarco sunt periti in arte marmoraria, & si deponerent super antiquitate marmorum, & lapidum illis fides præstari posset: Et tunc venientibus supradictis Joanne, & Vitaliano, ut suprà vocatis, præstitum fuit illis juramentum de veritate dicenda, prout tactis &c., juraverunt, & deindè fuerunt interrogati super ætate, & exercitio, & responderunt, quod ipse Joannes est filius quondam Joannis Camilli Neapolitani, ætatis suæ annorum 42., & exercet artem marmorariam, & est magister in marmorum architectura, & sculptura, necnon in opere musivo, sivè tessellato; & ipse Vitalinus Sammarco dixit, quod est filius quondam Joannis Neapolitani, ætatis suę annorum 44., & similitèr exercet artem marmora diversimodè sculpendi, & tessellandi musiva; fueruntque subindè interrogati, nùm si ipsis ostenderentur marmora, & lapides antiqui tempus plurium sæculorum excedentia, illorum antiquitatem recognoscere valerent, & responderunt, quod si ipsis ostenderentur marmora, & lapides tempus plurium sæculorum excedentia valerent illorum antiquitatem recognoscere, & ex tùnc per me infrascriptum Notarium de mandato &c. fuit illis exhibita supradicta capsula marmorea, in qua inventum fuit corpus Divi Bartholomæi, fuitque illis dictum, ut eam recognoscerent, & super illius antiquitate deponerent; Qua exhibita, & ab illis benevisa, & recognita dixerunt, capsulam ipsam marmoream, in qua repositum servabatur Corpus Divi Bartholomæi Apostoli esse antiquissimam, & excedere tempus septingentorum annorum circitèr; nam lilia incisa in quatuor lateribus sunt opere arabico, qui modus incidendi ipsam memoratam

Marmorarii periti, & approbati deponũt capsam marmoream excedere antiquitatẽ septingentorum annorum.

 anti-

antiquitatem indicat. Similitèr in fundo ipsius capsulæ à parte interiori apparere lineam vulgaritèr dictam *Serchia*, quæ alteram fundi partem non pertingit, quod lineę genus marmoribus consimilis antiquitatis accidit; quod si præfata linea, seù serchia, naturalis nō esset, sed casu accidisset ex utraq; fundi parte conspiceretur; dixerunt insupèr operculum capsulę è gręco marmore efformatum, quod dd. antiquissimis temporibus poterat esse in usu. Quibus ut supra peractis, Eminentissimus Metropolita, & Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Episcopi mandaverunt procedi ad recognitionem Sacrorum ossium Corporis Divi Bartholomæi, servata forma dicti decreti, lati sub die decima currentis mensis Maii, & pro effectu prædicto vocari Dominos Antonium Volpe, & Angelum de Auria artium, & medicinę Doctores, ac peritos in Anatomia, & interim fuerunt interrogati sub eodem juramento Domini Aloysius Antonius Ayellus Primicerius primus, & Agnellus Rendina Bibliothecarius nùm cognoscant supradictus Dominum Antonium Volpe, & Angelum de Auria, & quatenùs, &c. nùm ipsis possit dari fides circa Anatomiam, & si deponerent super ossium humanorum discretionem, seù qualitatem, & unumquodque os distinguerent per proprium nomen. Qui dixerunt se bene cognoscere supradictos Antonium Volpe, & Angelum de Auria, qui sunt periti in Philosophia, & Medicina, ac Anatomia, & in hac Civitate professionem istam exercent, & præcipuè Angelus de Auria exercet etiam artem Chirurgiæ, & istis potest dari fides circa anatomiam ossium humanorum, & circa nomen cujusvis ossis, & partis ossis humani, & tunc venientes supradicti Antonius Volpe, & Angelus Auria, ut supra vocati, illis præstitum fuit juramentum de veritate dicenda, prout tactis sacris scripturis juraverunt in manibus Eminentissimi Archiepiscopi, & fuerunt interrogati de eorum ætate, exercitio, & professione, & dicti Antonius Volpe respondit esse ætatis annorum 39. & quod est artium, & Medicinæ Doctor: Et exercet professionem Medicinę in hac Civitate, & Angelus Auria respondit esse ętatis annorum 34. & quod est Doctor Physicus, & Medicinæ, ac etiam exercet Chirurgiam. Et iterum interrogati nùm ipsi valerent recognoscere ossa humana, seù partes illorum, & illas, seù illa distinguere per propria nomina; qui responderunt se Philosophię, & etiam materiis Anotomiam concernentibus studuisse, & pluribus interfuisse hujusmodi experientiis, & quod ipsi valerent cognoscere tàm integra ossa humana, quàm partes illorum, & eorum nomina explicare. Cumque nox supervenisset, nec tempus suppeteret sacra ossa minutatim recognoscendi, & describendi, mandatum fuit prędicta S. Bartholomęi ossa inventa in capsa marmorea, & reposita super papyros, ut supra notatum est, interim reponi in vasis vitreis, ibi

Vocatio peritorum pro recognitione Sacrorum Ossium Corporis D. Bartholomæi.

Approbatio Peritorum in Anatomia.

Juramentum peritorum in Anatomia.

Ex superveniente nocte dilata fuit pro alia die recognitio anatomia peritorum.

ibi ad hunc effectum paratis, quę vasa fuerunt benedicta ibidem super Altare ab Eminentiss. Archiepiscopo cum orationibus, ut in Pontificali Romano; & mox D. Antonius Canonicus Romano, & Venerabilis Presbyter Pompejus Crucianus reposuerunt omnia ossa in novem ampullis, seu vasis vitreis, quæ fuerunt operculis clausę, & repositę in arcula holoserico tecta, & clausa cum sua sera, & clavi, quę clavis remansit penès Illustrissimum Promotorem fiscalem; ipsa verò arcula desuper in quatuor partibus ligata ad modum Crucis vitta serica coloris rubri, & super nodo, & extremitatibus obsignata sigillis Eminentissimi Archiepiscopi, & Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Episcopi Thermularum Promotoris fiscalis reposita fuit in tuto armario existente retro Altare dicti Secretarii, ubi asservantur alię sacrę Reliquię in suis thecis; quod clausum fuit ab Illustrissimo Promotore fiscali, qui illius clavem penes se retinuit animo continuandi recognitionem, cęteraque faciendi, quæ concernunt executionem supradicti decreti lati sub dicta die X. currentis mensis Maii: Quibus peractis Eminentissimus Archiepiscopus in sua sede suas vestes deposuit, & descendit in mediū ubi supra faldistorium cum Patribus oravit, & demum surgens Patres dimisit, & ipse remansit in Secretario sacris vigiliis initium faciens, recitando cum sui Ordinis Prædicatorum Patribus Psalterium David; & interim Cæremoniarum Magister horas distribuit pro cæteris successivè Religiosis excubias super sacris Reliquiis continuaturis.

Sacrum Corpus interim reponitur in ampullis vitreis.

Vigilia super sacris reliquiis inchoantur.

De quibus omnibus, & eorum singulis, ut supra peractis, Nos infrascripti Apostolica authoritate Notarii requisiti fuimus à M. Rev. D. Josepho Pennino Canonico Decano Collegiatæ Ecclesiæ Divi Bartholomæi, & Rev. D. Vincentio Tricarlenio ejusdem Ecclesiæ Canonico Procuratoribus à suo Collegio specialiter constitutis, ut unum, vel plura publicum, seu publica conficere, atque tradere deberemus instrumentum, & instrumenta, prout opus fuerit, & requisiti erimus.

Actum Beneventi in Sancta Metropolitana Ecclesia, ejusque Secretario hac die XI. mensis Maji millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo Indictione VI. Præsentibus, audientibus, & intelligentibus, Venerabilibus Presbyteris Bartholomæo Berlingerio Beneventano, Josepho Misisca Oppidi Roseti Arianen. Diœcesis, & Nicolao Pedicino Oppidi Vitulani Beneventanæ Diœcesis in hac Civitate degentibus, Testibus ad hæc specialitèr vocatis, habitis, atque rogatis, &c.

Undè nos in præmissorum fidem de predictis omnibus, ut supra requisiti rogati, hic subscripsimus, & consuetis signis signavimus.

Ita est Paduanus Sanctorius Canonicus Insignis Collegii Sancti Spi-

ritus Beneventi, publicus Apostolica authoritate Notarius, Curiaque Archiepiscopalis Cancellarius, & præsentis causa Notarius.

Loc. ✠ signi.

Ita est Martius Lizza Sacra Basilica Divi Bartholomai Apostoli Canonicus, publicus Apostolica authoritate Notarius de prædictis rogatus signavi requisitus. Loc. ✠ signi.

Ita est Clericus Dominicus Fontanella Beneventanus publicus Apostolica authoritate Notarius, &c. Loc. ✠ signi.

Secundum Instrumentum Ostensionis Sacri Corporis cum Decreto ossa numerari, recognosci, & specificari sub die 12. *Maji* 1698.

IN DEI NOMINE AMEN.

Patres Comprovinciales.

PRæsenti hoc publico Instrumento cunctis ubique pateat evidentèr, & notum sit, qualiter hodie 12. mensis Maji 1698. Eminentissimus Archiepiscopus Metropolita, & subscripti Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Episcopi Comprovinciales, videlicet Pater Frater Cœlestinus de Labonia Ordinis Eremitarum Discalceatorum S. Augustini Episcopus Montis-marani: Pater Joseph Lazara Clericorum Minorum Episcopus Aliphanus: Pater Franciscus Scanegata Episcopus Abellinen, Frequentinus, Aquæ putridæ, seù Mirabelli, & Quintodecimi: Pater Angelus Ceraso Episcopus Bibinen: Pater Franciscus Antonius Punzi Episcopus Asculanus, & Ordonen: Pater Franciscus Antonius Giannone Episcopus Bojanen, & Sepini: Pater Joseph Catalano Episcopus Larinen: Pater Dominicus Morelli Episcopus Luceriæ, Florentini, & Turtibuli causæ Ponens: Pater Michael Petirro Episcopus Thermulanus causę Promotor Fiscalis: Pater Pompejus Sarnellius Episcopus Vigilien. ad votum decisivum admissus, & vice Reverendissimi Capituli Metropolitani Abbatis Oppidi S. Lupi, Nullius: Pater Franciscus Protonobilissimus Episcopus Trivicanus: Pater Blasius Gammaro Episcopus Thelesinus: Pater Emilius Jacobus de Cavaleriis Episcopus Trojanus eligens: Pater Hiacynthus de Calce Clericus Regularis Episcopus Arianen; Necnon Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Episcopi, qui causa honoris accesserunt; scilicet Pater Timotheus Agnellini Archiepiscopus Mardinen. in Mesopotamia: Pater Nicolaus Antonius Tura Episcopus Sarnen: Pater Alphonsus Pacelli Episcopus Muranus: Pater D. Carolus Cutillo Monachus S. Benedicti Congregationis Montis Virginis Episcopus Minoren; necnon infrascripti Ordinarii inferiores

Episcopi cohonestantes.

Pro-

Provinciæ, scilicet Reverendissimus Pater D. Vitus Antonius Pastorale Ordinis S.Benedicti Abbas Generalis Montis Virginis, & M. Rev. D. Augustinus Fantetta Vicarius Generalis Alberoni, nullius, votum decisivum habentes. Quatuor insuper Domini Procuratores Illustrissimorum, & Reverendissimorum DD. Episcoporum Comprovincialium absentium; nempè M. Rev. Dominus Jacobus Antonius de Antonellis Primicerius, Procurator Patris Jacobi Circi Episcopi S. Agathæ Gotorum, & Sessulæ, M. Rev. D. Antonius America Archipresbyter Procurator P.Dominici Surrentini Episcopi Vulturarien., & Montis Corbini, Ven. Presbyter Nicolaus Scorza Procurator Patris Caroli Felicis Matta Episcopi S. Severi. Rev.Dominus Jacobus Antonius Florentinus Canonicus Procurator Patris Philippi de Corduba Episcopi Guardiç Alferiæ; Necnon M. Rev. Thelogi v.3. D. Michael Ramomondi Protonotarius Apostolicus Theologus Illustrifs. D. Episcopi Trojani: Pater Nicolaus Squillante Congregationis Oratorii: Pater Jo: Baptista Mongiò Ordinis S. Benedicti Congregationis Cçlestinorum Prior: Pater Fr. Jo: Baptista Spada Ursinus Exprovincialis Ordinis Prædicatorum: Pater Fr.Jo: Michael de Cavaleriis Ordinis Prçdic. Visitator Generalis: Pater Fr.Petrus Antonius Caballus Ordinis Prædic. Vicarius S. Officii: Pater Fr. Sebastianus Jascone Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Lector jubilatus, & Exminister Provincialis: Pater Fr. Anselmus Sabbatinus Ordinis Minorum Conventualis S. Francisci Exprovincialis: Pater Fr.Albertus Annubba Ordinis Carmelitarum Exprovincialis: Pater Fr. Hieronymus à Sancto Nicolao Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Exdiffinitor: Pater Dominicus Viva Societ. Jesu: Pater Michael Angelus Ruggerius Soc. Jesu: Et Domini de Illustrissimo Magistratu hujus Civitatis in præcedenti instrumento descripti, una cum infrascriptis nobis Notariis, & testibus vocatis, atque rogatis &c. pro continuanda actione recognitionis interrupta heri de sero ob noctem supervenientem, accessimus ad Secretarium Ecclesiæ Metropolitanæ, ubi affatus Eminentissimus cum prænominatis omnibus, facta oratione, ad sedem suam se recepit, Patres ad sua loca, reliqui ad propria scamna, Magistratus ad sua subsellia propè januam parata. Cumque Eminentiss. Archiepiscopus in sua sede se recepisset, & cæteri, ut dictum est ad propria loca, idem Eminentiss. Metropolita proposuit Patribus per eosdem Dominos de Magistratu factam fuisse sibi instantiam, quod pro consolatione populi ostenderentur Sacra lipsana, licet nondum in suis vasis clausa, & sigillata: Cum devoti populi fervor urgeret, Patres responderunt esse annuendum, mandaveruntque pro hac die fieri petitam Ostensionem, & propter deficientiam temporis, recognitionis prosecutionem

Ordinarii inferiores.

Procuratores Episcoporum absentium.

Theologi Synodales.

Magistratus.

Accessus ad Secretarium.

Metropolita proponit Patribus instantiam Magistratus, ut populo Sacra lipsana ostendantur.

diffe-

Idem proponit eisdem recognitionem anatomicam.

differendam esse in crastinum. Item Eminentissimus Metropolita proposuit Patribus, qualitèr Dominus Episcopus Lucerinus Causæ Ponens consideravit, quod tutius consuleretur futuræ identitati Sacrarum Reliquiarum, si in præsenti recognitione prosequenda describerentur nomina Ossium, juxtà sensum, & peritiam artis anatomicæ per probatos peritos Antonium Volpe, & Angelum de Auria, prout in superiore instrumento. Et Patres ita omninò faciendum esse dixerunt, & prædicta omnia, & singula exequi coram Eminentissimo Metropolita, & Illustrissimis Dominis Episcopis Lucerino Ponente, & Thermulano Promotore Fiscali cum facultate substituendi alios Episcopos in casu legitimi impedimenti, & occupationis in aliqua actione Synodali, & mandaverunt, quod postquam facta fuerit descriptio anatomica, ampullæ, in quibus reponendum erit Sacrum Corpus Divi Bartholomæi claudantur, & sigillentur: Et ex tunc Eminentissimus Archiepiscopus facturus ostensionem memoratam Populo, indutus pontificalitèr, accessit ad armarium, in quo heri vesperi reposita fuit capsula holoserico tecta, & sigillata, sub qua reposita fuerunt novem ampullæ Ossium Corporis Divi Bartholomæi, ut legitur in præcedenti instrumento, apertoque armario memorato per Illustriss. D. Episcopum Thermulanum Promotorem, qui ipsius armarii clavem heri vesperi penès se retinuit, Dominus Canonicus Romanus extraxit capsulam memoratam, illamque dedit in manus Eminentiss. Archiepiscopi, qui illam detulit, & posuit supra mensam pro eisdem Sacris Reliquiis paratâ in dicto Secretario, ut in præcedenti instrumento; quæ capsa sic ligata, & sigillata fuit ostensa Patribus, & per eos benè visa, ac etiam per nos, & subscriptos testes, qui interfuimus in instrumento sigillationis factæ heri vesperi de mandato &c. fuit visa, & recognita vitta serica rubri coloris, qua heri vesperi eadem capsa alligata fuit in quatuor partibus ad modum Crucis, & etiam visa fuerunt duo sigilla, alterum Eminentiss. Archiepiscopi, & alterum Illustriss. Episcopi Thermularum super eandem vittam in cera hispanica impressa, & tàm vitta, quam sigilla visa fuerunt benè se habere, & permanere eo modo, & forma, prout heri vesperi fuerant apposita; Qua recognitione facta Eminentiss. Archiepiscopus mandavit sigilla elevari, & vittam incidi, prout per nos &c. factum fuit: Et Illustriss. Episcopus Thermulanus Promotor Fiscalis, penès quem clavis hujus capsulæ remansit heri vesperi, illam aperuit, qua aperta Eminentiss. incensavit Sacras Reliquias, & intonavit Hymnum: *Tristes erant Apostoli, &c.* quo persoluto idem Eminentiss. extraxit novem ampullas, de quibus in præcedenti instrumento, illaque ostendit supranominatis Illustriss. Dominis Episcopis, Capitulo, Theologis, & Magistratui, & posteà iterum repositæ fuerunt in eadem

Datur initium ostensionis faciendæ.

Recognitio sigillorum in capsa.

Aperitio capsæ.

eadem capsula, quæ fuit clausa sua clavi ab eodem Domino Promotore Fiscali: Et statim posita supra feretrum holoserico ornatum, & coopertum nobili culcitra, bajulata fuit per ipsum Eminentissimum Archiepiscopum, & Dominos Episcopos Muranum, Bibinen., & Vigilien. Pluviali, & Mitra indutos, & cantatus fuit Psalmus 118. & recta via videntibus omnibus Patribus, & alijs, &c. asportata fuit, ac reposita super Altare Majus Ecclesiæ Metropolitanæ, ubi ab eodem Domino Episcopo Thermulano Promotore fuit iterum aperta: Et Eminentissimus Archiepiscopus reliquias ipsas thurificavit, & postea ascendit ambonem suum, cum prædictis Dominis Episcopis Murano, & Bibinen, in quo habuit homiliam Populo, qui supra numerum confluxerat;& idem Eminentissimus Archiepiscopus in suo permanens ambone mandavit memoratas ampullas ad se asportari, quas successivè asportatas Archiepiscopus sigillatim ostendebat populo,& ostēsas successivè reddebat Canonico illas ab Altari deferenti, & interim Episcopus Bibinen. legebat schedulas, quibus ampullæ inter se distinguebantur; item fuerunt ostensæ duæ laminæ Plumbeæ inventæ cum sacro Corpore, ut dictum est in Instrumento præcedente; Et cum prædicta fierent, remanserunt apud Altare ad sacrarum reliquiarum custodiam, Episcopi Vigilieñ. paratus, ut dictum est, & Thermulanus Promotor in suo habitu consueto. Deindè Eminentissimus Archiepiscopus, cum prædictis Dominis Episcopis Murano, & Bibineñ. descenderunt de ambone ad Altare, ubi à prædictis DD. Episcopis Vigiliarum, & Thermuleñ. præfatę novem ampullæ jam ostensæ,ut prædictum est, collocatæ fuerunt cum prædictis duabus laminis antiquis plumbeis in capsula prædicta. Hinc Eminentissimus Archiepiscopus intonavit hymnum *Te Deum*,& sacras thurificavit reliquias. Quo persoluto cantati fuerunt versic. *Benedicamus Patrem &c. Pretiosa in conspectu, &c. Fiat pax, &c.* & ab Eminentissimo Archiepiscopo cantatæ *Orationes pro gratiarum actione: De Sancto Bartholomæo, & pro pace.* Demùm clausa fuit capsula sua Clavi ab Illustrissimo Promotore fiscali, & supra idem feretrum reposita, cooperta nobili culcitra, & ab eisdem Eminentissimo, & Dominis Episcopis iterum bajulata, deducta fuit stata Processione cum Dominis Canonicis ad Secretarium, & è feretro super sæpè dictam Mensam reposita. Quo facto Eminentissimus Archiepiscopus accessit ad Altare Secretarii, ubi Sacris Cæremoniis, & orationibus in Pontificali pręscriptis benedixit novam Urnam porphyreticam, pro corpore Divi Bartholomæi recondendo paratam; Qua benedictione persoluta Eminentissimus Archiepiscopus, thurificatis iterum sacris reliquiis, postquam Clerus cantavit Psalmum 33. & Antiphonam, *O Princeps Apostolice cum suo Versu* clausit actionem

Capsa ad Altare majus defertur.

Homilia ad populum.

Ostentio Sac. Corporis facta Populo.

Sac. Corpus reponitur, & clauditur capsa.

Capsa iterum ad Secretarium.

Benedictio Urna porphyretica.

nem

nem *cum Oratione Sancti Bartholomæi*. Quibus absolutis præfata capsula fuit de novo vitta serica rubri coloris in quatuor partibus alligata, & solitis sigillis Archiepiscopi, & Episcopi Promotoris in cera hispanica impressis munita: Quam capsulam sic ligatam, & sigillatam idem Eminentissimus ostendit Patribus: Deindè reposuit in solito armario reliquiarum retro Altare ejusdem Secretarii, ut heri, & Dominus Episcopus Thermulanus clausit armarium sua clavi, quam apud se retinuit. Eminentissimus denique reversus ad sedem suam, & alii tres Episcopi ad sua faldistoria vestes Pontificales deposuerunt, & sic actio consummata fuit animo tamen prosequendi, &c. & Eminentissimus Archiepiscopus remansit in excubiis super sacras reliquias pro nocte sequenti peragendis, una cum Religiosis in notula à cæremoniarum Magistro descripta.

Capsa ligatur, obsignatur, & reponitur in armario.

Sacrarum Vigiliarũ prosecutio.

De quibus omnibus, & eorum singulis, ut supra peractis, Nos infrascripti Apostolica auctoritate Notarii requisiti fuimus à M. Reverendo Domino Josepho Pennino Canonico Decano Collegiatæ Ecclesiæ Divi Bartholomæi, & Reverendissimo Domino Vincentio Tricarlenio ejusdem Canonico Procuratoribus à suo Collegio specialiter constitutis, ut unum, vel plura, publicum, seù publica conficere atque tradere deberemus Instrumentum, & instrumenta, prout opus fuerit, & requisiti erimus.

Actum Beneventi in Sac. Metropolitana Ecclesia, ejusque Secretario hac die XII. mensis Maii millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo, Indictione VI., præsentibus, audientibus, & intelligentibus Venerabilibus Presbyteris Bartholomæo Berlingerio Beneventano, Josepho Misisca Oppidi Roseti Arianeñ. Diœcesis, & Nicolao Pedicino Oppidi Vitulani Beneventanæ Diœcesis in hac Civitate degentibus, testibus ad hæc specialiter vocatis, habitis, atq; rogatis, &c.

Unde nos in præmissorum fidem de prædictis omnibus, ut supra requisiti, rogati hic subscripsimus, & consuetis signis signavimus. Loco ✠ signi.

Ità est Paduanus Sanctorius Canonicus insignis Collegii Sancti Spiritus Beneventi, publicus Apostolica auctoritate Notarius, Curiæque Archiepiscopalis Cancellarius, & præsentis causæ Notarius.

Loco ✠ signi.

Ità est Martius Lizza Sac. Basilicæ Divi Bartholomæi Apost. Canonicus, publicus Apostolica auctoritate Notarius de prædictis rogatus signavi requisitus. Locus ✠ signi.

Ità est Clericus Dominicus Fontanella Beneventanus, publicus Apostolica auctoritate Not. . Locus ✠ signi.

Tertium

Tertium Instrumentum Numerationis Ossium Sacri Corporis D. Bartholomæi cum eorum Recognitione, & Specificatione anatomica sub die 13. Maji 1698.

IN DEI NOMINE AMEN.

PRæsenti hoc publico instrumento cunctis ubique pateat evidentèr, & notum sit, qualitèr hoc mane XIII. mensis Maji 1698. hora decima circitèr Eminentissimus, & Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus, Dominus Fr. Vincentius Maria Ordinis Prædicatorum Miseratione Divina Tit. S. Sixti, S.R.E. Presbyter Cardinalis Ursinus Archiepiscopus Metropolita cum Illustrissimis, & Reverendissimis Dominis Patre Dominico Morelli Episcopo Lucerino causæ Ponente, Patre Michaele Petirro Episcopo Thermulano causæ Promotore Fiscali, Patre Alphonso Pacelli Episcopo Murano,& Patre Fr.Vincentio de Magistris Ordinis Prædicatorum Episcopo Cassanen, adhibitis etiam, ac vocatis infrascriptis MM. RR.Patribus Theologis Synodalibus, idest Patre Nicolao Squillante Congregationis Oratorii, & Patre Dominico Viva Societatis Jesu, unà simul cum infrascriptis Nobis Notariis, & Testibus rogatis, &c. accessimus ad Secretarium Ecclesiæ Metropolitanæ, ubi vocati fuerunt Domini Antonius Volpe, & Angelus de Auria, artium medicinæ Doctores, Testes periti in anatomia, & approbati, ac jurati, prout in instrumento rogato sub die XI. currentis mensis Maji 1698.& continuando executionem decretorum hujus Sacri Concilii Provincialis latorum sub diebus X. & XI. hujus mensis Maji, deventum fuit ad actum Canonicæ recognitionis, numerationis, & specificationis anatomicæ ossium Corporis Divi Bartholomæi, & ex tunc Dominus Episcopus Thermulanus clavi armarii, qua clausit heri vesperi, & penès se retinuit, illud aperuit, adstantibus eodem Eminentissimo Archiepiscopo, & Illustrissimis Episcopis, & Theologis, de quibus supra: & Dom. Canonicus Antonius Romano ibi præsens, de mandato ejusdem Eminentissimi Archiepiscopi extraxit capsulam holoserico tectam, in qua fuerunt heri vesperi reconditæ ampullæ Corporis D.Bartholomæi,hæc autem extracta ab armario, fuit recepta in suis ulnis ab Eminentissimo Archiepiscopo, qui recitavit Antiphonam propriam Divi Bartholomæi: *O Princeps Apostolice, &c.* cum sua propria oratione: *Domine Iesu Christe, &c.* & statim capsulam ipsam sic acceptam iportavit usque ad mensam, de qua in præcedenti instrumento, n eodem Secretario paratam, & mandatum fuit, ut Venerabiles Presbyteri Bartholomæus Berlingerius, Ioseph Misisca, & Nicolaus Pedicinus Testes, qui sigillationi factæ ipsius capsæ heri vesperi interfuerunt, recognoscerent sigilla ipsa impressa in cera hispa-

Nomina Patrum pro recognitione.

Theologi.

Anatomistæ.

hispanica, & vittâ sericam, qua ligata fuit ad quatuor partes per modum Crucis, an benè se haberent? & illa observata per ipsosmet testes instrumentarios, dixerunt sigilla impressa heri vesperi in eadem capsa, vittamq; sericam, qua ligata fuit in quatuor partes ad modum Crucis benè se habere, & eandem vittam sericam non esse motam, nec violatam, sed omnia manere in eo statu, prout apposita fuerunt; undè jussum fuit sigilla ipsa amoveri, & vittam sericam incidi, prout fuerunt per Nos, &c. sigilla amota, & vitta incisa: Et tunc D. Promotor Fiscalis de suo sacculo extraxit clavem capsulæ, quam penès se heri vesperi retinuit, & illam aperuit, & successivè iterum fuit præstitum juramentum, supradictis Medicis in anatomia peritis de fideliter se gerendo, & de veritate dicenda, prout juraverunt tactis sacris scripturis in manibus Eminentiss. Metropolitæ. Et fuerunt extractæ ampullæ, in quibus Ossa recondita fuerunt, ut in instrumentis celebratis sub diebus XI. & XII. hujus mensis Maji, & posita supra mensam: & coram ipso Eminentissimo Metropolita, & DD. Episcopis, RR. Theologis, Nobisque, Notariis, & Testibus, supradicti DD. Medici in anatomia periti, adjuvantibus quoque Domino Canonico Antonio Romano, & Venerabili Presbytero Pompejo Cruciani, operam dederunt recognitioni; etenim fuerunt extracta omnia ossa ab ampullis, & exposita super quasdam largas papyros in extremitatibus plicatas, & elevatas pro cautela ne dilaberentur ossa, & deindè supradicti Periti, manu tecta velis separaverunt ossa; & postea ad amussim illa, illorumque partes specificaverunt per nomina propria cujusque ossis, & cujusque partis ipsorum; & sic separata, & specificata reposuerunt in separatis ampullis; multaque alia fragmenta ossium, quæ ob minutiem, nec numerari, nec specificari potuerunt, reposuerunt in ampulla separata; prout etiam fecerunt de cineribus ipsorum ossium in alia ampulla repositis, & de quibusdam parvis spinis piscium, & lapillis, ac fragmentis tabulæ abietis inter eadem ossa confusim repertis, quæ similiter in aliis duabus ampullis consignata fuerunt. Quia verò dum ista peragebantur, Secretarius S. Synodi vocavit ad Congregationem Synodalem secretam Eminentissimum Archiepiscopum, & Dominum Episcopum Lucerinum, isti legitimo hoc impedimento præpediti, juxtà sibi datam substituendi facultatem alios in sui vices subrogaverunt, nempè Eminentissimus Metropolita subrogavit in suum locum Dominum Episcopum Muranum, & D. Episcopus Lucerinus subrogavit in suum locum Dominum Episcopum Cassanen; Promotor enim Fiscalis noluit tanti ponderis ministerium deserere, sed ei potiùs Synodalem Congregationem posthabuit. De memorata autem separatione, & specificatione incepta, etiam coram Eminentissimo Archiepiscopo, & Domino Episcopo Lucerino,

Recognitio sigillorum in capsa.

Aperitio Capsæ.

Recognitio ossium, numeratio, & specificatio ab Anatomistis facta.

Inclusio ossium in ampullis.

rino, & profecuta coram fubrogatis Dominis Epifcopis, ut fupra, factus fuit fequens Catalogus cum diftinctione nominum cujusvis offis, & partis ejusdem, & eft qui fequitur. *Catalogus &c. Reliquiarum juxta peritiam anatomistarum.*

Nel primo Vafo di figura sferica di altezza oncie quattro, e mezza, di diametro oncie due, e mezza.

Un pezzo di Cranio ben grande	n. 1.	
Dieci altri pezzi del medefimo Cranio parimente di notabil grandezza	n. 10.	
Diciaffette pezzetti del medefimo Cranio piccioli	n. 17.	
Sette altri pezzi di Cranio più piccioli	n. 7.	
Trè pezzi grandi delle offa dell'Organo dell'udito, detti *Incus, Orbiculare, & Stapes*	n. 3.	
Due altri più piccioli *ex malleo*	n. 2.	
Sette denti, e mezzo, cioè due mole, uno canino, quattro incisorii fani, ed un dimezzato	n. 8.	
		n. 48.

Nel fecondo Vafo di figura sferica di altezza cinque oncie, e di diametro trè oncie.

Due pezzi di Vertebre de' Lombi ben grandi	n. 2.	
Nove pezzi di Vertebre più piccioli	n. 9.	
Un pezzo di Vertebra del Collo	n. 1.	
Nove pezzetti di Spatola	n. 9.	
		n. 21.

Nel terzo Vafo di figura sferica di altezza otto oncie, di diametro quattr'oncie.

Sette pezzi di capi di articoli	n. 7.	
Dieci altri pezzetti più piccioli de'medefimi	n. 10.	
Ventifette pezzetti dell'offo innominato	n. 27.	
Un'Offo grande del Femore di un groffo mezzo palmo	n. 1.	
Trè altre offa del Femore poco più picciole	n. 3.	
Nove pezzi del Femore ancor grandi	n. 9.	
Venti pezzi del Femore poco più piccioli	n. 20.	
Cento feffanta pezzi delle offa del Femore, e della Tibia più piccioli	n. 160.	
Un' offo anteriore della Tibia ben grande	n. 1.	
Sei altri pezzi della Tibia ancor grandi	n. 6.	
Un pezzetto della Sura, e propriamente il capo, che fà il Malleolo efteriore	n. 1.	
Un pezzo del Cubito	n. 1.	
Due pezzi di Radio ben grandi	n. 2.	
Un'altro pezzetto più picciolo	n. 1.	
	n. 249.	n. 69.

riporto n.69.
riporto n.249.

Un pezzetto dell'articolo del cubito n. 1.
Dieci capi di diversi Articoli grandi n. 10.
Quindici pezzetti di Articoli più piccioli n. 15.
Quattordici pezzetti della Sura n. 14.
Cinquantacinque altri pezzetti della Tibia n. 55.
Otto pezzetti dell'Osso dell'Ulna n. 8.
Quattr'altri pezzetti più piccioli del medesimo osso n. 4.
Trè pezzetti di Patella del ginocchio n. 3.
n.359.

Nel quarto Vaso di figura sferica di altezza oncie cinque, e mezza, di diametro oncie trè.

Nove pezzi di Metacarpo, due ben grandi, gli altri più piccioli n. 9.
Otto ossa del Carpo intiere n. 8.
Ventitrè ossa delle dita delle mani parte intiere, e parte rotte n. 23.
Sei ossa del Tarso, seù del piede, intiere n. 6.
Dieci ossetti del Metatarso parte intieri, e parte rotti n. 10.
Sette articoli delle ossa grandi delle dita de'piedi intieri n. 7.
Otto articoli più piccioli delle dita de'piedi ancor intieri n. 8.
Quattro altri pezzetti de'medesimi articoli n. 4.
Dodici pezzetti delle ossa del Tarso innominati n. 12.
Un'osso della Scapola n. 1.
Sette parti di diverse coste, due grandi, le altre di minor grandezza n. 7.
Cinque pezzi di Coste con porzioni di Vertebre n. 5.
Dodici altre parti di Coste picciole n. 12.
Venti altre parti di Coste più picciole n. 20.
Ventiquattro altri pezzetti di ossa indiscernibili n. 24.
n.156.

Nel quinto Vaso di figura sferica, di altezza oncie otto, e mezza, di diametro quattro.

Innumerabili pezzetti di ossa diverse, che per esser minuti non si sono potuto specificare.

Nel sesto Vaso di figura sferica di altezza oncie cinque, di diametro oncie trè.

Ceneri, seù polveri di ossa.

n.584.

Nel

Nel settimo Vaso di figura sferica di altezza oncie quattro, di diametro trè.

Un'osso intiero del Metacarpo il più grande n. 1.

——— n. 1.

Nell' ottavo Vaso di figura sferica di altezza oncie trè, di diametro oncie due.

Dieci pezzetti di spine di pesce ritrovati confusi colle sudette ossa

Nel nono Vaso di figura sferica di altezza oncie cinque, di diametro trè oncie.

Diversi pezzetti di pietra, e di legno ritrovati confusi, come sopra.

———

n.585.

Cumque facta esset hora quasi decima sexta; & absoluta jam esset Congregatio secreta Synodalis habita in Bibliotheca Archiepiscopii, redierunt ad Secretarium Noster Eminentissimus Archiepiscopus Metropolita, & Illustrissimus, & Reverendissimus D. Episcopus Lucerinus, nec non cum ipsis venit Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus Episcopus Trojanus, & invenerunt supradictos anatomistas esse adhùc in exercitio præfatæ recognitionis, & specificationis Sacrorum ossium, quàm suis locis insidentes, diligenter observarunt usque in finem. Observatione autem, & specificatione anatomica completis, præfati Domini Anatomistæ coram supradictis, & aliis supranominatis Episcopis super prædicta specificatione ossium per propria nomina, & separatione in novem ampullis distinctè deposuerunt, ut in præcedenti Catalogo continetur, & etiam deposuerunt ipsi anatomistæ se cognovisse juxtà eorum sensum, & peritiam in illis ossibus adesse singulas partes totius corporis, exceptis humeris, sivè brachiis, claviculis, & sterno, & prosequendo executionem Decreti lati per S. Synodum, prout in Instrumento celebrato heri 12. currentis mensis Maii coram omnibus prænominatis, deventum fuit ad sigillationem novem ampullarum supra descriptarum, in quibus distinctè reposita fuerunt ossa Sacri Corporis D. Bartholomæi Apostoli, & reliqua cùm illo reperta. Sigillatio autem facta fuit sub sequenti methodo. Etenim in unaquaque ampulla appositum fuit operculum vitreum

Depositio Anatomistarum.

Sigillatio Ampullarum.

suppo-

ſuppoſito goſſypio, ut immobile permaneret, & poſteà tranſmiſſæ fuerunt ſingulæ vittæ ſericæ coloris rubri à ſingulis operculis ad quælibet ora ampullarum per duos anulos, hinc indè tàm circa opercula, quàm circa ora ampullarum ex eodem vitro elaboratos, & firmitèr adhærentes, quę vittæ ſic tranſmiſſæ converſæ fuerunt ſupra opercula cujuſque ampullæ, & duobus nodis firmis alligatæ, & ſupra nodis infuſa fuit cera hiſpanica, & impreſſum ſigillum Eminentiſſimi Archiepiſcopi, alligatis etiam in unaquaque ampulla cum vitta ſerica ſchedulis continentibus ſpecificationem oſſium in ſingulis ampullis repoſitorum, donec apponerentur conſimiles ſchedulæ in Charta de pergameno affigendę in ipſis ampullis. Qua ſigillatione peracta, ampullæ ſic obſignatæ, fuerunt repoſitę intra eandem capſulam, de qua ſupra, & clauſa fuit ſua clavi per Illuſtriſs. D. Epiſcopum Thermulanum Promotorem Fiſcalem, qui clavem ipſam penès ſe retinuit, & capſa ipſa fuit iterùm ligata vitta ſerica ad quatuor partes in modum Crucis, & ſigillata ſigillo Eminentiſſimi Archiepiſcopi Metropolitæ, & dicti Illuſtriſſimi D. Epiſcopi Promotoris Fiſcalis, quæ poſteà fuit repoſita in eodem armario exiſtente in Secretario, de quo in ſuperioribus Inſtrumentis, & armarium ipſum fuit clauſum clavi, quàm idem Illuſtriſſimus Epiſcopus Promotor Fiſcalis penès ſe retinuit.

Capſa ligatur, obſignatur, & reponitur.

De quibus omnibus, & eorum ſingulis, ut ſupra peractis, Nos infraſcripti Apoſtolica auctoritate Notarii requiſiti fuimus à M. Reverendo Domino Joſepho Pennino Canonico Decano Collegiatæ Eccleſiæ Divi Bartholomæi, & Reverendiſſimo Domino Vincentio Tricarlenio ejuſdem Eccleſiæ Canonico Procuratoribus à ſuo Collegio ſpecialiter conſtitutis, ut unum, vel plura, publicum, ſeù publica conficere atque tradere deberemuș Inſtrumentum, & inſtrumenta, prout opus fuerit, & requiſiti erimus.

Actum Beneventi in Secretario Sac. Metropolitanæ Eccleſiæ, hac die XIII. menſis Maii milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo octavo, Indictione VI., præſentibus, audientibus, & intelligentibus Venerabilibus Presbyteris Bartholomæo Berlingerio Beneventano, Joſepho Miſiſca Oppidi Roſeti Arianeñ. Diœceſis, & Nicolao Pedicino Oppidi Vitulani Beneventanæ Diœceſis in hac Civitate degentibus, teſtibus ad hæc ſpecialiter vocatis, habitis, atq, rogatis, &c.

Unde nos in præmiſſorum fidem de prædictis omnibus, ut ſupra requiſiti, rogati hic ſubſcripſimus, & conſuetis ſignis ſignavimus.

Ità eſt Paduanus Sanctorius Canonicus inſignis Collegii Sancti Spiritus Beneventi, publicus Apoſtolica auctoritate Notarius, Curiæque Archiepiſcopalis Cancellarius, & præſentis cauſæ Notarius.

Locus ✠ ſigni.

Ità

Ità est Martius Lizza Sac. Basilicæ Divi Bartholomæi Apost. Canonicus publicus Apostolica auctoritate Notarius de prædictis rogatus, signavi requisitus. Locus ✠ signi.

Ità est Clericus Dominicus Fontanella Beneventanus, publicus Apostolica auctoritate Not. Locus ✠ signi.

Quartum Instrumentum Publicationis Decreti, & instrumentorum, Lectionis Catalogi, Ostensionis Sac. Reliquiarum, & Decreti de servando extra Urnam Osso Magno Metacarpi, die 14. Maji 1698. de mane in secunda sessione Synodali.

IN DEI NOMINE AMEN.

PRæsenti hoc publico Instrumento cunctis ubique pateat evidentèr, & notum sit, qualiter hodie xiv. mensis Maji 1698. hora 12. habita fuit secunda sessio Synodalis in Ecclesia Metropolitana, intervenientibus in ea Eminentissimo, & Reverendissimo in Christo Patre, & Domino, Domino Fr. Vincentio Maria Ordinis Prædicatorum, Miseratione Divina tit. S. Sixti, S.R.E. Presbytero Cardinali Ursino Archiepiscopo Metropolita Præside illius; necnon Illustrissimis, & Reverendissimis Dominis Episcopis Comprovincialibus; nempè Patre Cœlestino de Labonia *Nomina Patrum.* Episcopo Montis-marani, Patre Josepho Lazara Episcopo Aliphano (Pater Franciscus Scanegata ægræ valetudinis causa in Archiepiscopio se continebat) Patre Angelo Ceraso Episcopo Bovini, Patre Francisco Antonio Punzi Episcopo Asculano, Patre Francisco Antonio Giannone Episcopo Bojanen, Patre Josepho Catalano Episcopo Larinen, Patre Dominico Morelli Episcopo Lucerino, Patre Michaele Petirro Episcopo Thermulano, Patre Pompejo Sarnellio Episcopo Vigiliarum ad votum decisivum admisso, & vice Reverendissimi Capituli Metropolitani Abbatis Oppidi S. Lupi, nullius, Patre Francisco Protonobilissimo Episcopo Trivicano, Patre Blasio Gammaro Episcopo Thelesino, Patre Emilio Jacobo de Cavaleriis Episcopo Trojano eligente, Patre Hiacyntho Guevara Episcopo Arianen, & infrascriptis Illustrissimis, & Reverendissimis Dominis Episcopis, qui ad honestandum consessum venerunt, idest: Patre Timotheo Agnellini Archiepiscopo Mardinen in Mesopotamia, Patre Francisco Vignola Episcopo Minerbinen, Patre Nicolao Antonio Tura Episcopo Sarnen, Patre Alphonso Pacelli Episcopo Murano, Patre Joanne Francisco de Laurentiis Episcopo Venusino, Patre Fr. Marcello de Cavaleriis Ordinis Prædicatorum Epi- *Nomina Episcoporum cohonestantium consessum Synodalem.*

scopo

scopo Gravinen, Patre Fr. Vincentio de Magistris Ordinis Prædicatorum Episcopo Cassanen, Patre Carolo Cutillo Monacho Montis Virginis Episcopo Minoren, & Patre Josepho Schinosi Episcopo Casertano: Necnon infrascriptis Ordinariis inferioribus votum decisivum habentibus, videlicet Patre Vito Antonio Pastorale Abbate Generali Congregationis Montis Virginis, & M. Rev. Domino Augustino Fantetta Vicario Alberoni, & Dominis Procuratoribus Illustrissimorum, & Reverendissimorum Dominorum Episcoporum absentium, hoc est: M. Rev. Domino Jacobo Antonio de Antonellis Primicerio Procuratore Patris Jacobi Cirei Episcopi S. Agathæ Gotorum, M. Rev. Domino Antonio America Archipresbytero Oppidi Mottæ Procuratore Patris Dominici Sorrentini Episcopi Vulturariæ, Ven. Presbytero Nicolao Scorza Procuratore Patris Caroli Felicis Mottæ Episcopi S. Severi, Rev. Domino Jacobo Antonio Canonico Florentino Procuratore Patris Philippi de Corduba Episcopi Guardien. Item omnibus Rev. Theologis, & Decretalistis electis in hoc Sacro Concilio. Expletaque per Dominum Secretarium ab ambone lectione decretorum usque ad Tit. vi. inclusivè, continuatè Eminentiss. Archiepiscopus Metropolita mandavit cum ipsis decretis Synodalibus etiam legi, & solemniter publicari decretum super translatione Sacri Corporis Divi Bartholomæi, latum in publica Congregatione Synodali habita sub die 10. currentis mensis Maii 1698., & per Dominum Secretarium Concilii ab ambone fuit lectum alta voce decretum ipsum, audientibus omnibus PP., aliisque superiùs descriptis, qui iterùm alta voce dixerunt: *Deo gratias, qui dignatus est nobis concedere, ut videremus, & manibus contrectaremus Corpus Divi Bartholomæi, eo modo, quo nobis per sacras Constitutiones, & publica documenta nuntiatum fuerat*. Et posteà fuit etiam ab eodem Eminentiss. Præside mandatum publicari Instrumentum elevationis dicti Sacri Corporis confectum sub die xi. currentis mensis Maii, prout factum fuit ab eodem Domino Secretario. Et successivè etiam fuit mandatum publicari Instrumentum Ostensionis Sacri Corporis elevati factæ Patribus, & populo, una cum decreto per ipsam S. Synodum lato: *Ossa numerari, recognosci, specificari, & describi per Anatomistas, & sigillari*, sub rogitu diei xii. hujusmet mensis Maii 1698., quod & similitèr factum fuit. Et demum demandatum fuit publicari aliud Instrumentum numerationis, recognitionis, & specificationis ossium cum proprio nomine per Anatomistas factæ, & inclusionis ejusdem Sacri Corporis in ampullis vitreis, & sigillationis ipsarum ampullarum sub rogitu diei xiii. hujus mensis, quod & similitèr fuit executum. Et successivè Illustriss. Dominus Ponens retulit Sanctæ Synodo, quod æquum esset, ut præfatæ sacræ Reliquiæ jam segregatæ, & repositæ in suis ampullis

Ordinarii inferiores.

Procuratores Episcoporum absentium.

Publicatio solemnis decreti sub die 10. Maii.

Publicatio Instrumentorum sub diebus xi., xii., & xiii. Maii.

Instantia Episcopi Ponentis pro nova ostensione Sacrarum Reliquiarum.

lis sigillatis, ut ex Instrumento confecto heri xiii. hujus mensis rursus ostenderentur Illustriss., & Reverendiss. Dominis Episcopis, qui nupèr advenerant,& pro eorum egregia pietate hunc sacrum nostrum Confessum sua presentia cohonestant,& hac occasione iterùm ostenderentur populo ; presertim quià multi advene ad sacrum Corpus venerandum confluxere: quo dicto, Eminentiss. Metropolita interrogavit Parres, si placeret ità fieri? qui responderunt placere, & proindè idem Eminentiss. mandavit dictum Sacrum Corpus è Secretario asportari: In cujus executionem,precedente Magistro Ceremoniarum, accesserunt ad Secretarium Illustriss., & Reverendiss. Domini Episcopus Lucerinus Ponens, & Episcopus Thermulanus Promotor Fiscalis associati à pluribus Dominis Dignitatibus, & Canonicis Metropolitanæ; & Illustriss. Episcopus Thermulanus extracta è sua crumena clavi armarii clausi heri, prout in precedenti Instrumento, idem armarium aperuit, & per Dominum Canonicum Romanum extracta fuit ab ipso armario capsula, in qua heri repositum fuit Corpus Divi Bartholomei; que capsula fuit recepta in suis ulnis à dictis Illustriss.Episcopis Lucerino, & Thermulano, & interim Eminentiss. Archiepiscopus mandavit aperiri portas Ecclesie, ut populus, qui expectabat, ingrederetur, prout factum fuit; & processionalitèr cum cantu Hymni: *Tristes erant Apostoli*, & aliorum Psalmorum asportata fuit ad Altare majus, ubi ostensa fuitPatribus ligata,& sigillata duobus sigillis, prout in precedenti instrumento, & sigilla, ac vitta serica fuerunt recognita per Nos, & testes instrumentarios descriptos in eodem Instrumento, & inventa fuerunt benè se habere;ac posteà de ordine ejusdem Eminentiss. Archiepiscopi fuerunt per Nos &c. incisa vitta serica, & ablata sigilla, & Illustriss. Episcopus Thermulanus capsulam aperuit clavi, qua heri vesperi clausit, & penès se retinuit, & capsula ipsa ad oculum omnium adstantium fuit per Eminentiss. Archiepiscopum, & Illustriss., & Reverendiss. Dominos Episcopos Lucerinum, & Thermulanum asportata supra ambonem suum, & demandatum fuit Domino Secretario Concilii, ut Catalogum Reliquiarum recognitarum, & specificatarum cum propriis nominibus per peritos Anatomistas factum alra voce legeret, eo modo, quo est adnotatum in precedenti Instrumento; ipsoque illum legente,Eminentissimus Archiepiscopus ampullam in Catalogo designatam, & à Domino Secretario expressam, extraxit à capsula, & populo obsignatam ostendit: Populusque ipse ex nimio devotionis fervore,& pre letitia, oculos manusque ad Cœlum elevabat, Deo referens gratias:. & ex tunc Eminentiss. Archiepiscopus proposuit Patribus si placeret, quod integrum os metacarpi in septima ampulla clausum, asservaretur extrà Urnam, ubi recondendnm erit Sacrum

Decretum Synodi pro ostensione Reliquiarũ.

Accessus ad Secretarium pro delatione capsulæ.

Aperitio armarii per D. Promotorem.
Extractio capsulæ.

Aperitio Ecclesiæ.

Delatio capsulæ ad Altare majus.

Recognitio ejusdem.

Aperitio ipsius.

Delatio capsulæ ad ambonem.

Lectio Catalogi Sacrarum Reliquiarum.

Ostensio earundem.

H

Decretum quod ampulla cum Osse metacarpi servetur extra Urnam.

crum Corpus, ad finem illud ostendendi populo pro continuata devotione? & Patres ità fieri dixerunt. Quibus peractis, tàm Eminentiss. Archiepiscopus, quam Domini Episcopi Lucerinus, & Thermulanus descenderunt de ambone capsulam ipsam reportantes suprà idem Altare majus, ubi iterùm fuit capsula eadem sua clavi obserata, & ligata vitta serica coloris rubri ad quatuor partes per modum Crucis & obsignata sigillis Eminentiss. Archiepiscopi, & Domini Episcopi Thermulani in cera hispanica impressis, & clàvis reddita Illustriss. Promotori, & iterùm processionalitèr cum Psalmo: *Cæli enarrant &c.* asportata ad Secretarium, & reposita in armario, de quo in precedentibus Instrumentis: & armarium ipsum fuit sua clavi obseratum, quam penès se retinuit idem Dominus Episcopus Thermulanus Promotor Fiscalis, animo tamen continuandi actionem, & affigendi schedulas ex pergameno in ampullis, ipsasque reponendi in Urna porphyretica jam benedicta, ut legitur in secundo Instrumento sub die xii. currentis mensis Maii; & posteà præfati Domini Episcopi Lucerinus & Thermulanus reversi sunt ad consessum Synodalem, ubi stato ritu terminata fuit sessio.

Reportatio capsulæ ad Altare majus, & sigillatio.

Repositio ejusdem in armario Secretarii, & obseratio.

De quibus omnibus, & eorum singulis, ut suprà peractis Nos infrascripti Apostolica auctoritate Notarii requisiti fuimus à M. Rev. Domino Josepho Pennino Canonico Decano Collegiatę Ecclesiæ Divi Bartholomęi, & Rev. D. Vincentio Tricarlenio ejusdem Ecclesiæ Canonico Procuratoribus à suo Collegio specialitèr constitutis, ut unum, vel plura, publicum, seù publica conficere, atque tradere deberemus Instrumentum, & Instrumenta, prout opus fuerit, & requisiti erimus.

Actum Beneventi in S. Metropolitana Ecclesia, ejusque Secretario hac die xiv. mensis Maii millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo, Indictione vi. pręsentibus, audientibus, & intelligentibus Venerabilibus Presbyteris Bartholomęo Berlingerio Beneventano, Josepho Misisca Oppidi Roseti Arianen. Diœcesis, & Nicolao Pedicino Oppidi Vitulani Beneventanę Diœcesis in hac Civitate degentibus, testibus ad hęc specialitèr vocatis, habitis, atque rogatis &c.

Unde Nos in pręmissorum fidem de pręedictis omnibus, ut suprà requisiti rogati hic subscripsimus, & consuetis signis signavimus &c.

Ita est Paduanus Sanctorius Canonicus Insignis Collegii S. Spiritus Beneventi, publicus Apostolica authoritate Notarius, Curiæque Archiepiscopalis Cancellarius, & præsentis causæ Notarius.

Loc. ✠ signi.

Ita est Marcus Lizza Sacræ Basilicæ Divi Bartholomæi Apostoli Canonicus, publicus Apostolica authoritate Notarius de prædictis rogatus signavi requisitus. Loc. ✠ signi.

Ita

Ita est Clericus Dominicus Fontanella Beneventanus, publicus Apostolica authoritate Notarius, &c. Loc. ✠ signi.

Quintum Instrumentum Appositionis schedularum de pergameno cum inscriptione ossium Corporis S. Bartholomæi singulis ampullis, Repositionis ampullarum earumdem in Urna porphyretica, ejusque Clausuræ, & publicæ Expositionis die 14. Maii 1698. post Vesperas.

IN DEI NOMINE AMEN.

PRęsenti hoc publico Instrumento cunctis ubique pateat evidenter, & notum sit, qualiter hodie XIV. mensis Maii 1698. hora vigesima circiter, Eminentiss. & Reverendiss. in Christo Pater, & Dominus, Dominus Fr. Vincentius Maria Ordinis Prædicatorum miseratione Divina Tit. S. Sixti S.R.E. Presbyter Cardinalis Ursinus Archiepiscopus Metropolita, associatus à suo Capitulo, una cum Illustrissimis, & Reverendissimis Episcopis Comprovincialibus, nempè Patre Cælestino de Labonia Episcopo Montis Marani, Patre Josepho Lazara Episcopo Aliphano, Patre Francisco Scanegata Episcopo Abellinen̄, Patre Angelo Ceraso Episcopo Bibinen̄, Patre Francisco Antonio Punzi Episcopo Asculano, Patre Francisco Antonio Giannone Episcopo Bojanen̄, Patre Josepho Catalano Episcopo Larinen̄, Patre Dominico Morelli Episcopo Lucerino, Patre Michaële Petirro Episcopo Thermulano, Patre Pompejo Sarnellio Episcopo Vigiliarum ad votum decisivum admisso, & vice Reverendissimi Capituli Metropolitani Abbatis Oppidi S. Lupi, nullius, Patre Francisco Protonobilissimo Episcopo Trivicano, Patre Blasio Gammaro Episcopo Thelesino, Padre Æmilio Jacobo de Cavaleriis Episcopo Trojano eligente, Patre Hiacyntho de Calce Episcopo Arianen̄; ac Illustrissimis, & Reverendissimis Dominis Episcopis Synodalem concessum cohonestantibus, idest: Patre Timotheo Agnellini Archiepiscopo Mardinen̄ in Mesopotamia, Patre Francisco Vignola Episcopo Minerbinen̄, Patre Nicolao Antonio Tura Episcopo Sarnen̄, Patre Alphonso Pacelli Episcopo Murano, Patre Jo. Fràcisco de Laurentiis Episcopo Venusino, Patre Fr. Marcello de Cavaleriis Ordinis Prędicatorū Episcopo Gravin n̄, Patre Fr. Vincentio de Magistris Ord. Prædicatorum Episcopo Cassanen̄, Patre Carolo Cutillo Monacho Montis Virginis Episcopo Minoren̄ & Patr. Iosepho Schinosi Episcopo Casertano: Item Dominis Ordinariis inferioribus Provinciæ,

Nomina Patrum.

Novem Episcopi Synodalē consessum honestantes.

Ordinarii inferiores. hoc est Patre Vito Antonio Pastorale Abbate Generali Congregationis Montis-Virginis, & M. Rev. Domino Augustino Fantetta Vicario Oppidi Alberoni, nullius, votum decisivum habentibus; Necnon Dominis Procuratoribus Episcoporum absentium Comprovincialium, vz. M. Rev. Domino Jacobo Antonio de Antonellis Primicerio, Procuratore Patris Jacobi Circi Episcopi S. Agatæ Gotorum, M. Rev. Domino Antonio America Archipresbytero Oppidi Motta, Procuratore Patris Dominici Surrentini Episcopi Vulturariæ, Ven. Presbytero Nicolao Scorza Procuratore Patris Caroli Felicis Matta Episcopi S. Severi, Rev. Domino Jacobo Antonio Canonico Florentino Procur. Patris Philippi de Corduba Episcopi Guardień: Et Rev. Theologis, vz. Domino Michaele Ramomondi, Patre Nicolao Squillante Congregationis Oratorii, Patre Joanne Baptista Mongiò Congregationis Cælestinorum, Patre Fr. Joanne Baptista Spada Ursino Ordinis Prædicatorum, Patre Fr. Joanne Michaele de Cavaleriis Ordinis Prædicatorum: Patre Fratre Petro Antonio Caballo Ordinis Prædicatorum: Patre Sebastiano Jascone Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia: Patre Fratre Anselmo Sabbatino Ordinis Minorum Conventualiū Sancti Francisci: Patre Fratre Alberto Annuba Ordinis Carmelitarum: Patre Dominico Viva Soc. Jesu: Patre Michaele Angelo Ruggerio Soc. Jesu: Patre Fr. Hieronymo à Sancto Nicolao Ordinis Carm. Discalceatorū, cæterisque Canonistis in præsenti Concilio Provinciali admissis, & descriptis: Assistentibus etiam Illustrissimo Domino Gubernatore, & Dominis de Illustr. Magistratu, & intervenientibus pariter Dominis Antonio Volpe, & Angelo de Auria peritis in anatomia, de quibus in superioribus Instrumentis; accessit etiam una nobiscum infrascriptis Notariis, & testibus ad Secretarium Ecclesiæ Metropolitanæ animo absolvendi Canonicam recognitionem Sacrarum Reliquiarum Divi Bartholomæi ab Anatomistis factam, & propterea apponendi in ampullis vitreis, in quibus Sacrum Corpus reconditum est, schedulas de pergameno; ibidemque peracta oratione, se recepit ad sedem suam, & reliqui ad sua loca. Qui quidem Eminentissimus Archiepiscopus indutus Pontificalibus, & Capitulares vestibus sacris una cum Illustrissimis, & Reverendissimis Dominis Episcopis Lucerino Ponente, & Thermulano Promotore Fiscali accessit ad armarium, in quo hoc mane reposita fuit Capsula holoserico tecta cum Corpore Divi Bartholomæi, & desuper ligata, & obsignata; qui Dominus Episcopus Thermulanus extracta clavi memorati armarii, quam apud se retinebat, illud aperuit, & extraxit Capsulam, quam dedit in manus Eminentissimi Archiepiscopi, qui illam sic acceptam asportavit super Altare ipsius Secretarii, illamque ostendit Patribus ligatam, & ob-

Quatuor Procuratores Episcoporum absentium.

Theologi Synodales.

Decretalistæ.
Gubernator cum Magistratu.
Anatomista.
Accessus ad Secretarium pro absolvenda actione recognitionis factæ, & apponendi schedulas de pergameno in ampullis.

Extrahitur capsa sacrarum Reliquiarum ab armario.

Ostensio, & recognitio capsæ.

& obsignatam, prout in præcedenti Instrumento, & recognita per nos, &c. tàm in vitta, quàm in sigillis, inventa fuit benè se habere: & subindè fuerunt per nos, &c. de mandato, &c. amota sigilla, & incisa vitta, ipsaque capsa aperta fuit, & ab eodem Eminentissimo Archiepiscopo extractæ fuerunt vitreæ ampullæ, in quibus reposita extabant sacra Ossa Corporis Divi Bartholomæi, de quibus in præcedentibus instrumentis; & tunc idem Eminentissimus præintonavit Hymnum: *Tristes erant Apostoli*: & thurificavit præfatas Sacras Reliquias. Deindè idem Eminentissimus Metropolita mandavit in schedulis de pergameno annotari nomina Reliquiarum juxtà sensum, & peritiam Anatomistarum; tum apponi, & adnecti in pectore cujuslibet ampullæ, seù vasis vitrei pro futura memoria. Et pro effectu prædicto Patres deputaverunt Dominos Episcopos Ponentem, & Promotorem. Et recedentibus Metropolita, & Patribus, ac Canonicis processionalitèr ad Chorum pro cantandis Vesperis solemnibus de Translatione, remanserunt in Secretario præfati Domini Episcopi Lucerinus, & Thermulanus unà nobiscum Notariis, & Testibus, & Anatomistis, & fuerunt confectæ, & exaratæ schedulæ, seù chartulæ de pergameno per Dominum Canonicum Martium Lizza, unum ex Notariis juxtà tenorem, & distinctionem Catalogi facti per Anatomistas, ut in instrumento celebrato heri XIII. hujus mensis Maji, & in qualibet ampulla in pectore ejusdem Gummi, quam Arabicam vocant, agglutinata fuit schedula particularis. Hìc advertendo, quod septima ampulla, in qua repositum fuit os magnum Metacarpi, ut legitur in ipso Catalogo, non erit reponenda in Urna, stante decreto hoc mane per Sanctam Synodum lato, & propterea vacabit numerus septimus ampullarum sequentium, itaut octo deinceps numerentur, in Urna mox apponendæ. Schedulæ autem appositæ, sunt tenoris sequentis.

Decretum Annotationis nominum reliquiarum in schedulis, & Annexionis earumdem in ampullis pro quo deputantur Ponens, & Promotor.

Exaratio schedularum.

Appositio schedularum in pectore ampullarum.

Septima ampulla cũ osso Metacarpino erit reponenda in Urna, & non numeratur.

In prima ampulla apposita est chartula, seù schedula cum inscriptione.

Tenor schedularum annexarum.

Num. I. Ossa Cranii, & organi auditus, dentes molares duo, incisorii quinque cum dimidio S. Bartholomæi Apostoli, hìc reposita die 13. mensis Maij 1698.

In secunda ampulla apposita est chartula, seù schedula cum inscriptione.

Num. II. Vertebra, & spatula S. Bartholomæi Apostoli hìc reposita die 13. mensis Maii 1698.

In tertia ampulla apposita est chartula, seù schedula cum inscriptione.

Num. III. Ossa articulorum Femoris, Tibiæ, Suræ, Ulnæ, Radii, Patellæ, & os innominatum S. Bartholomæi Apostoli hìc reposita die 13. mensis Maii 1698.

In

In quarta ampulla apposita est chartula, seù schedula cum inscriptione.

Num. IV. Ossa carpi, metacarpi, & digitorum manuum, tarsi, metatarsi, digitorum pedum, costarum, & alia indiscriminabilia Sancti Bartholomæi Apostoli hic reposita die 13. mensis Maii 1698.

In quinta ampulla apposita est chartula, seù schedula cum inscriptione.

Num. V. Fragmenta ossium S. Bartholomæi Apostoli hic reposita die 13. Mensis Maii 1698.

In sexta ampulla apposita est chartula, seù schedula cum inscriptione.

Num. VI. Sacri pulveres Ossium S. Bartholomæi Apostoli hic repositi die 13 mensis Maii 1698.

In septima ampulla apposita est chartula, seù schedula cum inscriptione.

Num. VII. Spinæ piscium confusim repertæ cum sacris lipsanis Sancti Bartholomæi Apostoli hic repositæ die 13. mensis Maii 1698.

In octava ampulla apposita est chartula, seù schedula cum inscriptione.

Num. VIII. Particulæ lapidum, & lignorum confusim repertæ cum sacris lipsanis S. Bartholomæi Apostoli hic reposita die 13. mensis Maii.

Ampulla verò, quæ in Instrumento rogato sub die xiii. hujus mensis erat descripta in Num. VII., in qua repositum fuit Os magnum metacarpi, non fuit hic numerata, nam ex decreto Patrum (ut dictum est) lato hoc mane in secunda sessione Synodali, ut in Instrumento desupèr per Nos celebrato, debet remanere extrà Urnam pro devotione populi; verùm in ista ampulla apposita est schedula: *Os magnum integrum Metacarpi S. Bartholomæi hic repositum die 13. mensis Maii 1698:* Absolutisque Vesperis Eminentissimus Metropolita, & Patres, ac Canonici reversi sunt ordine processionali ad Secretarium, & octo ampullæ memoratæ, ut suprà obsignatæ, & specificatæ cum suis schedulis de pergameno, repositæ fuerunt ab eodem Eminentiss. coram Patribus in Urna porphyretica jam benedicta, ut in Instrumento sub die xii. hujus mensis Maii, aptatumque fuit inter eas gossipium, nè invicem possint moveri, & frangi (septima verò ampulla, in qua repositum est os magnum Metacarpi non fuit recondita in Urna, sed sicut sigillata erat, reposita fuit in armario Sacrarum Reliquiarum in Secretario existente, servata forma decreti hoc mane lati; armariumque ipsum fuit clausum à Domino Promotore, qui clavem tradidit Domino Thesaurario Mariella Custodi Sacrarum Reliquiarum in hac Ecclesia Metropolitana

Octo ampullæ includuntur in Urna.

Ampulla cum Osse metacarpi reponitur cum aliis Sacris Reliquiis in armario Secretarii.

litana existentium.) Prædicta autem Urna antequam clauderetur suo operculo fuit thurificata per Eminentiss. Archiepiscopum, & postea clausa dicto operculo item porphyretico,& insuper fuit munita circulo ferreo circa labrum, & radiis tribus ferreis ad ipsum operculum ab eodem labro protendentibus, ad hunc effectum elaboratis; Et quia in ipsa Urna erant nunc etiam reponendæ tres novæ laminæ plumbeæ ad perpetuam memoriam hujusce præsentis sacræ actionis, tenoris sequentis:

Urna ligatur.

Anno Domini M. DC. XCVIII. xi. Maii Dominica die. Ego Fr. Vincentius Maria Ordinis Prædicatorum,miseratione Divina Tit. S. Sixti S.R.E. Presbyter Cardinalis Ursinus, hujus S. Metropolitanæ Ecclesiæ Archiepiscopus in secunda mea Provinciali Synodo, de ejusdem Synodi mandato coram Patribus elevavi, & recognovi Corpus hoc S. Bartholomæi Apostoli, quod erat in Urna lapidea, in qua inveni duas laminas plumbeas, alteram antiquissimam, & in extrema parte ruptam his verbis: ✠ SCS BARTHOLOMEVS APOST. alteram item antiquam,priorem sic exprimentem: ✠ SCS BARTHOLOMEVS APLS. & Corpus ipsum reposui in vasis vitreis viii., & eadem vasa die xiv. Maii collocavi in hac Urna porphyretica, præsentibus Sanctiss., & Reverendiss. Provinciæ Episcopis, nempè

Exemplar inscriptionis in tribus novis laminis plumbeis.

Fr. Celestino Labonia Ordinis Eremit. S. Augustini Episcopo Montis Marani.
Josepho Lazara Cleric. Min. Episc. Aliphano.
Francisco Scanegata Episcopo Abellino, & Frequentino.
Angelo Ceraso Episcopo Bibinen.
Francisco Antonio Punzi Episcopo Asculano, & Herdonen. *pro Ord nen.*
Francisco Antonio Giannone Episcopo Bojanen.
Josepho Catalano Episcopo Larinen.
Dominico Morelli Episcopo Lucerino.
Michaele Petirro Episcopo Thermulano.
Pompejo Sarnellio Episcopo Vigilien.ad votum decisivũ admisso, & vice Metropolitani Capituli Abbatis Oppidi S. Lupi, nullius.
Francisco Protonobilissimo Episcopo Trivicano.
Blasio Gammaro Episcopo Thelesino.
Æmilio Jacobo de Cavaleriis Episcopo Trojano Eligente.
Hiacyntho de Calce Clerico Regulari Episcopo Arianen.

Ordinariis.

P. Vito Antonio Pastorale Ordinis S. Benedicti Congr. Montis Virginis Abbate Generali, nullius.
Augustino Fantetta Vicario Alberoni, nullius.

Sacras

Timotheo Agnellini Archiepiscopo Mardinen. in Mesopotamia.
Francisco Vignola Episcopo Minerbinen.
Nicolao Antonio Tura Episcopo Sarnen.
Alphonso Pacelli Episcopo Murano.
Jo: Francisco de Laurentiis Episcopo Venusino.
Fratre Marcello de Cavaleriis Ordinis Prædicatorum Episcopo Gravinen.
Fratre Vincentio de Magistris Ordinis Prædicatorum Episcopo Cassanen.
D. Carolo Cutillo Monacho S.Ben.Cong.Montis Virginis Episcopo Minoren.
Josepho Schinosi Episcopo Casertano.

Urna sigillatur.

Urna defertur super feretro nobilissimo ad Altare majus.

Quæ tres laminæ ex defectu Incisoris adhuc non erant completæ,sed pollicitus ille fuerat ipsas consignare in crastinum ante Vesperas, hinc Urna ipsa interim ligata fuit vitta serica coloris rubri,tàm circa labrum,quàm supra operculum,& sigillata tribus sigillis Eminentissimi Archiepiscopi impressis in cera hispanica liquefacta supra vittam, & urnam ipsam, fuitque præintonata Antiphona *Exultabunt Sancti in gloria*, & subsequenter cantati fuerunt Psalmi 149. & 150.: Et illico post præintonationem dictæ Antiphonæ, eadem Urna apposita fuit super novo feretro nobilissimè elaborato, & flosculis sericis,quasi per areolas distributis,mirum in modum exornato: Et processionaliter præcedente Capitulo parato, & Patribus, feretrum ipsum bajulatum fuit per Eminentissimum Archiepiscopum, & Dominos Episcopos Montis Marani,Muranum,& Bibinen. similiter mitra, & pluviali indutos ad Altare majus Ecclesiæ Metropolitanæ, subsequente Domino Gubernatore, & Magistratu cum intorticiis accensis: ibique ostensa, & significata fuit Populo, ac exposita publicæ adorationi. Et dum repeteretur Antiphona *Exultabunt*, Eminentissimus Archiepiscopus eam thurificavit, & post Versiculum *Sancti*, *& Justi*, *&c.* idem Eminentissimus cantavit Orationem S.Bartholomæi: *Omnipotens*, *&c.* Demum ordine, quo venerant, recesserunt ad Secretarium pro depositione sacrarum vestium, & facta ibidem ante Altare brevi oratione, Eminentissimus Metropolita comiter dimisit Patres, & ipse rediit ad Chorum pro incipiendis sacris excubiis super sacratissimum Corpus Sancti nostri Apostoli. Interim à recessu Archiepiscopi, Patrum, Capituli, &c. ad Secretarium, Populus cœpit decantare Psalterium, sive Rosarium Beatissimæ Virginis Mariæ, &c.

Ostenditur populo, & exponitur publicæ adorationi.

Regressus ad Secretarium.
Dimissio Patrum.
Disponuntur sacra excubia.

De quibus omnibus, & eorum singulis, ut supra peractis,Nos infrascripti Apostolica auctoritate Notarii requisiti fuimus à M. Reverendo Domino Josepho Pennino Canonico Decano Col-

legiatæ

legiatæ Ecclesiæ Divi Bartholomæi, & Reverendo Domino Vincentio Tricarlenio ejusdem Ecclesiæ Canonico Procuratoribus à suo Collegio specialiter constitutis, ut unum, vel plura, publicum, seù publica conficere atque tradere deberemus Instrumentum, & instrumenta, prout opus fuerit, & requisiti erimus.

Actum Beneventi in SecretarioSac. Metropolitanæ Ecclesiæ, hac die XIII. mensis Maii anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo, Indictione VI., præsentibus, audientibus, & intelligentibus Venerabilibus Presbyteris Bartholomæo Berlingerio Beneventano, Josepho Misisca Oppidi Roseti Arianeñ. Diœcesis, & Nicolao Pedicino Oppidi Vitulani Beneventanæ Diœcesis in hac Civitate degentibus, testibus ad hæc specialiter vocatis, habitis, atq; rogatis, &c.

Unde nos in præmissorum fidem de prædictis omnibus, ut supra requisiti, rogati hic subscripsimus, & consuetis signis signavimus.

Ità est Paduanus Sanctorius Canonicus insignis Collegii Sancti Spiritus Beneventi, publicus Apostolica auctoritate Notarius, Curiæque Archiepiscopalis Cancellarius, & præsentis causæ Notarius.

Locus ✠ signi.

Ità est Martius Lizza Sac. Basilicæ Divi Bartholomæi Apost. Canonicus, publicus Apostolica auctoritate Notarius de prædictis rogatus, signavi requisitus. Locus ✠ signi.

Ità est Clericus Dominicus Fontanella Beneventanus, publicus Apostolica auctoritate Not. Locus ✠ signi.

Sextum Instrumentum solemnis Translationis, & Consignationis Sac. Corporis S. Bartholomæi Apostoli è Metropolitana Ecclesia ad novam Basilicam eidem Sancto noviter erectam. Die 15. *Maii* 1698.

IN DEI NOMINE AMEN.

PRæsenti hoc publico Instrumento cunctis ubique pateat evidentèr, & notum sit, qualiter hodie XV. mensis Maji 1698. hora 19. circiter, Indictione VI., Eminentissimus, & Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus, Dominus Fr. Vincetius Maria Ordinis Prædicatorum, Miseratione Divina tit. S. Sixti, S.R.E. Presbyter Cardinalis Ursinus Archiepiscopus Metropolita una cum Illustrissimis, & Reverendissimis Dominis Episcopis Comprovincialibus, hoc est Patre Cœlestino de Labonia Episcopo Montis-marani, Patre Josepho Lazara Episcopo Aliphano (Pater verò Franciscus Scanegata Episcopus Abellineñ, qui ægra- *Nomina Patrum.*

I va-

valetudinis causa in Archiepiscopio se continebat, misit excusationem) Patre Angelo Ceraso Episcopo Bibineñ, Patre Francisco Antonio Punzi Episcopo Asculano, Patre Francisco Antonio Giannone Episcopo Bojaneñ, Patre Joepho Catalano Episcopo Larineñ, Patre Dominico Morelli Episcopo Lucerino, Patre Michaele Petirro Episcopo Thermulano, Patre Pompejo Sarnellio Episcopo Vigiliarum ad votum decisivum admisso, & vice Reverendissimi Capituli Metropolitani Abbatis Oppidi S. Lupi, nullius, Patre Francisco Protonobilissimo Episcopo Trivicano, Patre Blasio Gammaro Episcopo Thelesino, Patre Æmilio Jacobo de Cavaleriis Episcopo Trojano eligente, Patre Hiacyntho de Calce Episcopo Arianeñ: ac Illustrissimis, & Reverendissimis Dominis Episcopis, qui ad sacrum consessum cohonestandum venerunt, idest: Patre Timotheo Agnellini Archiepiscopo Mardineñ in Mesopotamia, Patre Francisco Vignola Episcopo Minerbineñ, Patre Nicolao Antonio Tura Episcopo Sarneñ, Patre Alphonso Pacelli Episcopo Murano, Patre Joanne Francisco de Laurentiis Episcopo Venusino, Patre Fr. Marcello de Cavaleriis Ordinis Prædicatorum Episcopo Gravineñ, Patre Fr. Vincentio de Magistris Ordinis Prædicatorum Episcopo Cassaneñ, Patre Carolo Cutillo Monacho Montis Virginis Episcopo Minoreñ, & Patre Josepho Schinosi Episcopo Casertano: & infrascriptis Dominis Ordinariis inferioribus Provinciæ, nempè Patre Vito Antonio Pastorale Abbate Generali Congregationis Montis Virginis, & M. Rev. Domino Augustino Fantetta Vicario Oppidi Alberoni, nullius, votum decisivum habentibus: & insuper infrascriptis Dominis Procuratoribus Episcoporum Comprovincialium absentium, v3. M. Rev. Domino Jacobo Antonio de Antonellis Primicerio Procuratore Patris Jacobi Circi Episcopi S. Agathæ Gothorum, M. Rev. Domino Antonio America Archipresbytero Oppidi Mottæ Procuratore Patris Dominici Surrentini Episcopi Vulturariæ, Ven. Presbytero Nicolao Scorza Proc. Patris Caroli Felicis Matta Episcopi S. Severi, Rev. Domino Jacobo Antonio Canonico Florentino Procuratore Patris Philippi de Corduba Episcopi Guardieñ: Necnon Rev. Theologis, scilicet Domino Michaele Ramomondi, Patre Nicolao Squillante Congregationis Oratorii, Patre Jo: Baptista Mongiò Congregationis Cœlestinorum Patre Fr. Io: Baptista Spada Ursino Ordinis Prædic., Patre Fr. Jo: Michele de Cavaleriis Ordinis Prædicatorum, Patre Fratre Gregorio Maria Smeriglio Ordinis Prędic. Magistro, & Vicario Generali Congregationis Sanitatis, Patre Fr. Petro Antonio Caballo Ordinis Prædic. Patre Fr. Sebastiano Iascone Ordinis Min. S. Francisci de Observantia, Patre Fr. Antonio Sabbatino Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium, Patre Fr. Alberto

Novem Episcopi cohonestantes consessum Synodalem.

Ordinarii inferiores.

Procuratores Episcoporum absentium.

Theologi.

berto Annubba Ordinis Carmelitarum, Patre Dominico Viva Soc. Iesu, Patre Michaele Angelo Ruggerio Soc Jesu, Patre Fr. Hieronymo à S. Nicolao Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, cæterisque Decretalistis hujus Sacri Concilii; necnon Illustrissimo Domino Gubernatore, & Dominis de Illustrissimo Magistratu, de quibus in primo Instrumento sub die XI. hujus mensis Maii, & una nobiscum infrascriptis Notariis, & Testibus rogatis, atque specialiter vocatis, accessimus ad Ecclesiam Metropolitanam, ubi persolutæ fuerunt secundæ Vesperæ solemni ritu decantatæ ab Eminentissimo Archiepiscopo. Primo autem Psalmo inchoato, initium datum fuit solemni Processioni ob numerositatem Confraternitatum quatuor, & quadraginta, necnon Cleri item numerosi, qui ex tota Archidiœcesi convenerant. Absolutis vesperis Patres Sacras vestes Pontificales, & cæteri alii sua paramenta susceperunt, exceptis Canonicis Ecclesiæ Metropolitanæ, qui de more ante Vesperas (quia ab Eminentissimo Archiepiscopo decantandas) jam acceperant; omnibus sic indutis, Eminentissimus Metropolita præintonavit Antiphonam *Cum jucunditate exibitis, &c.* & imposito incenso in thuribulis, sacram Urnam apud Altare thurificavit. Quo facto, idem Eminentissimus una cum Illustrissimis, & Reverendissimis Dominis Episcopis Lucerino Ponente, & Thermulano Promotore mandavit nobis, &c. & Testibus rogatis in præcedenti Instrumento, ut in conspectu omnium Urna ipsa recognosceretur, nùm permaneret bene ligata, & sigillata, prout ligata & obsignata fuit heri Vesperi? & tam per nos, quam per memoratos Testes illa bene visa, & recognita fuit, & dixerunt manere sigilla benè impressa, & vittam sericam benè ligatam, eo modo, & forma quibus ligata, & obsignata fuit heri vesperi; et ex tunc de mandato, &c. fuerunt sigilla amota, & vitta serica incisa, Urnaque fuit aperta videntibus omnibus Patribus, aliisque superiùs nominatis, & ab eodem Eminentissimo Metropolita in eadem Urna pro perenni memoria hujus novæ Translationis, prius repositæ fuerunt tres novę laminę plumbeę, de quibus mentio habetur in prędecenti Instrumento confecto heri post Vesperas, quarum singulę sunt altitudinis unciarum octo cum dimidia, latitudinis verò unciarum sex, & duorum minutorum, in quibus est incisa inscriptio tenoris sequentis.

Gubernator cum Magistratu.

Accessus ad Metropolitanam pro secundis Vesperis.

Datur initium processioni solemni.

Thurificatio Urnæ.

Recognitio sigillorum in Urna.

Aperitio ejusdem.

Tres laminæ plumbeæ mensurantur, & reponuntur in Urna.

Anno Domini M. DC. XCVIII. xi. Maii Dominica die. Ego Fr. Vincentius Maria Ordinis Prędicatorum miseratione Divina Tit. S. Sixti S.R.E. Presbyter Cardinalis Ursinus, hujus S. Metropolitanæ Ecclesiæ Archiepiscopus, in secunda mea Provinciali Synodo, de ejusdem Synodi mandato coram Patribus elevavi, & recognovi Corpus hoc S. Bartholomæi Apostoli, quod erat in Urna lapidea, in qua inveni duas laminas plumbeas, alteram

Tenor inscriptionis in tribus dictis laminis.

 anti-

antiquissimam, & in extrema parte ruptam his verbis: ✠ SCS BARTHOLOMEVS APOST. alteram item antiquam, priorem sic exprimentem: ✠ SCS BARTHOLOMEVS APLS. & Corpus ipsum reposui in vasis vitreis viii., & eadem vasa die xiv. Maii collocavi in hac Urna porphyretica, præsentibus Sanctiss., & Reverendiss. Provinciæ Episcopis, nempè

Fr. Cœlestino Labonia Ordinis Eremit. S. Augustini Episcopo Montis Marani.
Josepho Lazara Cleric. Min. Episc. Aliphano.
Francisco Scanegata Episcopo Abellino, & Frequentino.
Angelo Ceraso Episcopo Bibineñ.
Francisco Antonio Punzi Episcopo Asculaneñ, & Herdonen. *pro Ordonen.*
Francisco Antonio Giannone Episcopo Bojanen.
Josepho Catalano Episcopo Larineñ.
Dominico Morelli Episcopo Lucerino.
Michaele Petirro Episcopo Thermulano.
Pompejo Sarnellio Episcopo Vigilien. ad votum decisivũ admisso, & vice Metropolitani Capituli Abbatis Oppidi S. Lupi, nullius.
Francisco Protonobilissimo Episcopo Trivicano.
Blasio Gammaro Episcopo Thelesino.
Æmilio Jacobo de Cavaleriis Episcopo Trojano Eligente.
Hiacyntho de Calce Clerico Regulari Episcopo Arianen.

Ordinariis.

P. Vito Antonio Pastorale Ordinis S. Benedicti Congr. Montis Virginis Abbate Generali, nullius.
Augustino Fantetta Vicario Alberoni, nullius.

Sacras prædictas functiones honestantibus.

Timotheo Agnellini Archiepiscopo Mardineñ in Mesopotamia.
Francisco Vignola Episcopo Minerbinen.
Nicolao Antonio Tura Episcopo Sarnen.
Alphonso Pacelli Episcopo Murano.
Jo: Francisco de Laurentiis Episcopo Venusino.
Fratre Marcello de Cavaleriis Ordinis Prædicatorum Episcopo Gravinen.
Fratre Vincentio de Magistris Ordinis Prædicatorum Episcopo Cassanen.
D. Carolo Cutillo Monacho S. Ben. Cong. Montis Virginis Episcopo Minoren.
Josepho Schinosi Episcopo Casertano.

Quæ quidem Lamminæ in parte inferiori junguntur vittis sericis per foramina transmissis, quæ vittæ è duobus pendent lateribus,

tribus, & super eisdem impressa sunt in cera hispanica decem, & novem sigilla novendecim ex tribus, & viginti Episcopis præsentibus, nempè Montis Marani, Aliphani, Abellineñ, Bibineñ, Asculani, Bojaneñ, Larineñ, Lucerini, Thermulani, Vigilieñ, Thelesini, Trojani, Arianeñ, Minerbineñ, Sarneñ, Murani, Venusini, Gravineñ, & Minoreñ. Reliquorum verò quatuor Episcoporum v3. Trivicani, Mardineñ in Mesopotamia, Cassaneñ, & Casertani, nec non duorum inferiorum Ordinariorum v3. Abbatis Gen. montis Virginis, & Vicarii Alberoni non fuerunt impressa sigilla, quia secum à suis residentiis illa non detulerant. In medio verò prædictæ inferioris laminarum partis pendet solita plumbea Bulla Archiepiscopalis ex chordula serica coloris rubri, & albi, habens ex una parte impressam Imaginem Capitis B. M. Virginis à dextris, & S. Bartholomæi Apostoli à sinistris cum cruce intermedia, & supra caput S. Mariæ adsunt literæ S. M. hoc est S. Maria, & supra Caput Divi Bartholomæi adsunt literæ S. B. hoc est S. Bartholomæus: Infrà verò Imagines incisus annus 1698. Ex altera parte ejusdem plumbeæ Bullæ adest inscriptio Fr. Vinc. Maria Ordinis Prędicatorum Cardinalis Ursinus Archiepiscopus Beneventanus: Insuper idem Eminentissimus Metropolita in eadem Urna reposuit numisma argenteum formę sphæricæ latitudinis unciarũ duarum cum dimidia, in cujus una parte est impressa imago Capitis B. Marię, & S. Bartholomęi, cum cruce intermedia, & eisdem literis S. M. S. B. infrà verò incisus est annus 1698; ex altera autem parte impressa est imago ipsius Eminentissimi Metropolitę infulati, & palliati cum inscriptione in gyro, Fr. Vinc. Maria Ord. Pręd. Cardinalis Ursinus, Archiepiscopus Beneventanus: Deindè idem Eminentissimus Archiepiscopus in eadem Urna inclusit duas laminas plumbeas repertas cum ipso Sacro Corpore in capsula marmorea, descriptas, & exemplatas in primo Instrumento Elevationis dicti Sacri Corporis, confecto sub die XI. hujus mensis Maii. Quarum laminarum minorem, quę in extremitate rupta est, habetque petiolum separatum ipsiusmet rupturę, & recognita fuit per fabros peritos, & approbatos, qui deposuerunt excedere antiquitatem septingentorum annorum, involuit schedula de pergameno sua manu subscripta tenoris sequentis: *Lamina plumbea antiquissima, fuit recognita à Peritis, juridicè examinatis, excedere annos septingentos. XIV. Maii Anno Domini 1698. Fr. Vincentius Maria Cardinalis Archiepiscopus*. Quibus sic repositis, aptato novo gosipio, ut immobiles permanerent, coràm omnibus atribus, ipsisque videntibus, appositus fuit circulus ferreus circa labrum urnę, ex quo circulo tres radii ferrei protenduntur ad fagistium operculi, ut circà illud firmentur, licèt

Tres dictæ laminæ infra junctæ vittis sericis cum impressione sigillorum Episcopalium.

Bullę Plumbeæ Archiepiscopalis appensio, & designatio.

Repositio numismatis argentei, ejusque descriptio.

Duæ laminæ antiquæ reponuntur.

Lamina minor schedula de pergameno cũ inscriptione involuitur.

Circuli, & radii ferrei apponuntur pro clausura facienda, & interim Urna vittis alligatur, & feretro imponitur.

nunc

nunc totalitèr firmati non fuerint, cum iste actus faciendus esset post hujus Translationis processionem in Basilica Divi Bartholomæi, in actu Consignationis prædictæ Sacræ Urnæ, & Collocationis ipsius in Camera sub Altari Majori ejusdem Basilicę. Intereà tamen Urna memorata firmiter ligata fuit vitta serica, & posteà reposita super feretrum nobile descriptum in præcedenti Instrumento confecto heri post Vesperas, & in processione dictum feretrum cum Sacra Urna semper bajulatum fuit ab eodem Eminentissimo Archiepiscopo, & tribus aliis Episcopis, quibus alternatim honoris gratia succedebant alii tres Episcopi; cujus Processionis methodus habetur in rotulo Magistri Cœremoniarum inserendo de mandato Eminentiss. Metropolitæ in actis hujus Sacri Concilii. Postquam autem Processio pervenit ad novam Basilicam, ad ejus ingressum Cantores Hymnum *Te Deum* præintonarunt; hic namque Terminus Processionis erat, prout terminata fuit; & interim cum sacris ritibus, & cœremoniis in eodem rotulo descriptis deposita fuit è feretro sacra Urna, & exposita supra Altare majus ex vario, & pretioso marmore etiā in Camera pro Urna ibidē recōdenda, nempè intùs, & foris elegantissimè elaboratum propriis sumptibus ipsius Em. Archiep. & postquam thurificata fuit ab eodem, dum incepti Hymni *Te Deum* cantus prosequebatur, & successivè per Cantores cantati fuissent versiculi: *Benedicamus Patrem, &c.: Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix: Pretiosa in conspectu Domini: & Fiat Pax, &c.* Eminentiss. cantavit collectas *pro Gratiarum actione, de Beata Maria, de S. Bartholomæo, & pro Pace;* benedixit deindè populo, & publicata fuit per Archidiaconum Indulgentia plenaria concessa à Sanctiss. Domino Innocentio Papa XII. pro visitantibus hodie hanc Basilicam. Subsequentèr Eminentiss. Archiepiscopus, sedens in faldistorio super Altare recepit oblationem intorticiorum à Magistratu, aliis Nobilibus, & ab aliquibus de Clero foraneo pro servitio hujus Sacri Altaris ob reverentiam Sanctissimi Apostoli. Subindè de mandato ipsius Eminentissimi Archiepiscopi fuit memorata Urna firmitèr clausa, apposito operculi fastigio, ferreo circulo breviori, qui clausus fuit clavo ferreo, helice nuncupato, quem vulgus *vitem* appellat, cui clavo caput incisum fuit: ad quem exiguum circulum reducti fuerunt tres ferrei radii è majore Urnæ circulo, quo labrum circumdatur, protensi, & in eo breviori circulo tribus consimilibus clavis affixi, quibus paritèr clavis capita incisa fuerunt. Quæ quidem Urna deindè obsignata fuit quatuor sigillis Eminentiss. Metropolitæ impressis in cera hispanica super quatuor clavos ferreos, ut suprà incisos. Sic igitur dicta Urna clausa, munita, & obsignata, ob tarditatem horæ Eminentiss. Archiepiscopus dimisit comitèr Patres, qui ritu processionali cum cæteris de Clero recesse-

Bajulatio cum Urna ab Archiepiscopo incessanter, ab aliis Episcopis alternatim.

Ingressus Processionis in novam Basilicam.

Depositio, & expositio Urnæ, ejusque Thurificatio.

Orationes, Benedictio populi, & publicatio Indulgentiæ Plenariæ.

Receptio oblationum.

Urna clauditur ferreis munimentis, & obsignatur.

Dimissio Patrum.

cesse-

cesserunt ad Secretarium Ecclesiæ Metropolitanæ pro dimissione Sacratum vestium. Ipse verò Archiepiscopus remansit cum Dominis Episcopis Ponente, & Promotore, Canonicis hujus Sacræ Basilicæ, Ministris, & Cappellanis &c. & Magistratu pro consignanda Urna sic obsignata MM. RR. DD. Dignitatibus, & Canonicis Collegii S. Bartholomæi, prout fecit, collocando propriis manibus, assistentibus dictis Dominis Episcopis, sacram Urnam in camera Altaris majoris. Ipsa verò Urna est ex marmore porphyretico, ut sæpè dictum est, elegantissimè elaborata, altitudinis palmorum duorum, latitudinis, quæ per gyrum ducitur, palmorum quatuor cum dimidio, valoris ducatorum ultrà mille, opere pretiositati marmoris respondente. Urna itaque collocata in dicti Altaris Camera, hæc eadem camera munita fuit crate ferrea in orbem ducta, & ex aurichalco exteriùs affabrè composita. Dum verò hæc fierent canebantur à Choro Psalmi 88., 102., & octo primi Psalmi Graduales. Demùm Eminent. Archiepiscopus se recepit in suâ Sedem Pontificalé in medio Chori, considentibus in eodem Choro Dominis Episcopis, & Canonicis Sacræ Basilicæ, & habuit ad eosdem Canonicos verba exhortationis, assumendo thema ex ultimo versiculo Psalmi 126. mox decantati, scilicet, *Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis, non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta*: Ex hoc deducens beatos revera esse S. Bartholomæi Canonicos, qui tandem, Deo annuente, desiderium suum videbant impletum in hac solemni Translatione, non solùm quia Corpus Sancti Apostoli novæ Basilicæ habebant restitutum, verum etiam quià videre meruerunt, quod priùs tantum per antiqua crediderant documenta. Qua veritate patefacta omnem excusserant confusionem: poterant siquidem audentèr loqui inimicis suis in porta, hoc est iis, qui obtrectabant recognitioni, & repositioni in nova Urna faciendæ, clarissimis documentorum Testimoniis non credentes. Verumtamen Canonicos monuit eosdem, ut omni studio Sanctissimo Apostolo in Divinis deservirent, nè obtrectatoribus ansam darent rursùs obloquendi; ipsi verò meritò conqueri deberent illud repetentes: *adversum me loquebantur, qui sedebant in porta*: Ut autem sua decentiùs munera implerent, ipse Eminentiss. Archiepiscopus in eadem concione obtulit Sancto Apostolo ducatos centum pro comparandis Planeta, Pluviali, Dalmatica, Tunicella ex damasco rubeo cum aureo ornatu illo, quas trinas vocant, quorum emptionem faciendam Admodum Rev. Patri Antonio Stranci Sacerdoti Neapolitani Oratorii S. Philippi Nerii commisit. In eodem quoque sermone mandavit eidem Collegio S. Bartholomæi, ut in memoriam hujus Sacræ Translationis infrà bimestre apponendam curarent inscriptionem marmoream continentem eadem verba, quæ

Consignatio, & collocatio Urnæ in camera Altaris majoris.

Urnæ descriptio.

Munitur camera crate ferrea, & ex aurichalco.

Exhortatio ad Canonicos Collegiales.

Oblatio Archiepiscopi ducat. centum pro emptione Sacrarum vestium.

Marmorea inscriptio apponenda mandatur

quæ sunt incisa in tribus laminis in Urna porphyretica appositis. Mandavit item per octo dies continuos recitari quotidiè integrum Davidicum Psalterium in tribus diuersis horis distinctum. Peracto sermone, prædicti Domini Canonici supplicarunt institui Officium anniversarium hujus novæ translationis, cujus supplicationis deliberatio ad Congregationem Synodalem remissa fuit, & commissum Patri Nicolao Squillante, & Patri Magistro Jo: Baptistæ Spadæ Ursino Theologis Synodalibus, ut eorum vota hac super re in prima Congregatione referrent. Et tandem, facta oratione ante Altare, processionalitèr cum Dominis Episcopis Lucerino, & Thermulano, & Canonicis dictę Sacræ Basilicæ se recepit ad Secretarium ejusdem, ubi Sacras vestes omnes deposuerunt, & actioni terminus impositus est.

Recitatio Psalterii per octo dies imponitur.

Instantia pro officio hujus translationis in ipsa Basilica remittitur ad Synodalē Congregationem.

Depositio Sacr. vestiū.

De quibus omnibus, & eorum singulis, ut suprà peractis, Nos infrascripti Apostolica auctoritate Notarii requisiti fuimus à M. Rev. Domino Joseppho Pennino Canonico Decano Collegiatę Ecclesiæ Divi Bartholomęi, & Rev. D. Vincentio Tricarlenio ejusdem Ecclesiæ Canonico Procuratoribus à suo Collegio specialitèr constitutis, ut unum, vel plura, publicum, seù publica conficere, atque tradere deberemus Instrumentum, & Instrumenta, prout opus fuerit, & requisiti erimus.

Actum Beneventi in S. Metropolitana Ecclesia, & in nova Sacra Basilica præfato Divo Bartholomæo Apostolo principali Protectori dicata, hac die xv. mensis Maii post Vesperas Anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo, Indictione vi., pręsentibus, audientibus, & intelligentibus Venerabilibus Presbyteris Bartholomęo Berlingerio Beneventano, Josepho Misisca Oppidi Roseti Arianen. Dięcesis, & Nicolao Pedicino Oppidi Vitulani Beneventanę Dięcesis in hac Civitate degentibus, necnon RR. Patribus Nicolao Squillante, Antonio Stanci, Januario Pisano, Nicolao Stranci, & Aloysio Pettrone Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii Civitatis Neapolis, testibus ad hęc specialitèr vocatis, habitis, atque rogatis &c.

Unde Nos in pręmissorum fidem de prędictis omnibus, ut suprà requisiti, rogati hic subscripsimus, & consuetis signis signavimus &c.

Ita est Paduanus Sanctorius Canonicus Insignis Collegii S. Spiritus Beneventi, publicus Apostolica authoritate Notarius, Curiæque Archiepiscopalis Cancellarius, & præsentis causæ Notarius.

Loc. ✠ signi.

Ita est Martius Lizza Sacræ Basilicæ Divi Bartholomæi Apostoli Canonicus, publicus Apostolica authoritate Notarius de prædictis rogatus, signavi requisitus. Loc. ✠ signi.

Ita est Clericus Dominicus Fontanella Beneventanus, publicus Apostolica authoritate Notarius &c. Loc. ✠ signi.

METHODUS
TOTIUS ACTIONIS,

Quæ præcessit, comitata, & subsequuta est primum Concilium Provinciale, fuit pariter in hoc II. Provinciali Concilio à Sanctiss. Patribus probata in Congregatione Secreta sub die 3. Maii 1698., & in praxim servata. Præsens methodus, quæ sequitur, ritum præscribit Elevationis, Recognitionis, & Translationis solemnis Corporis S. Bartholomæi Apostoli à Metropolitana ad propriam Ecclesiam, vigore Decreti dicti II. Concilii sub die 10. ejusdem Mensis.

CAPUT I.

De Elevatione Sacri Corporis S. Bartholomæi Apostoli privatim facienda.

1. Die statuta pro Elevatione privata accedunt ad Archiepiscopium.
   - j. Patres omnes, Canonici Metropolitanæ.
   - ij. Canonici Collegii Sancti Bartholomæi, & Magistratus.
   - iij. Theologi.
   - iv. Secretarii, & Notarii Concilii.
   - v. Magistri Cæremoniarum.
   - vj. Medici, & Anatomistæ deputati.
   - vij. Ostiarii.
2. Interim in Metropolitana absolvuntur Vesperæ, & Completorium privatim absque cantu; & fores Ecclesiæ clauduntur.
3. Metropolita comitatus, ut supra, præcedente Cruciferario cum Cruce, pergit ad Capellam S. Mariæ Majoris, ubi asservatur Corpus S. Bartholomæi.
4. Ibidem genuflexi recitant Psal. Pænitentiales, quibus absolutis, proceditur stato ritu ad Secretarium Ecclesiæ.
5. Metropolita procumbit in faldistorio ante Altare; Patres in sedilibus à parte dextera super pulvinaria parata genuflectunt; Canonici Metropolitanæ in sedilibus à parte sinistra; Canonici Collegii S. Bartholomæi in scamnis ex parte Canonicorum Metropolitanæ; Theologi in aliis ex parte Episcoporum; Magistratus propè januam in subselliis; Notarii tandem cum Secretariis in locis deputatis.
6. Metropolita ad sedem cum duobus Diaconis assistentibus, & tres alii Patres ad faldistoria cum Capellanis, & his sedentibus, omnes pariter sedent.
7. Distribuuntur paramēta pro Metropolita, videlicet, Superpelliceum, Amictus, Crux pectoralis, Stola, & Pluviale rubei coloris, Pectorale, Mitra pretiosa, & Pastorale.
8. Item Amictus, Stolæ, Pluvialia, & Mitræ Auriphrygiatæ pro dictis tribus Patribus.
9. Metropolita per Diaconos assistentes, & dicti Patres per Capellanos induuntur, omnibus stantibus.
10. Proceditur deindè ad dictam Capellam S. Mariæ Majoris hoc ordine.
    - j. Ostiarii.

ij. Theologi.
iij. Secretarii, & Notarii.
iv. Canonici Collegii Sancti Bartholomaei.
v. Magistratus.
vj. Mazzerius.
vij. Thuriferarius.
viij. Cruciferarius cotta indutus cum Cruce inter Ceroferarios.
ix. Canonici Metropolitanae Ecclesiae.
x. Patres non parati ordine eorum cum Caudatariis.
xj. Tres Patres parati cum suis Capellanis.
xij. Minister cum Pastorali.
xiij. Metropolita inter Diaconos assistentes.

11. Patres non parati, & Canonici Metropolitanae per duplicatum gyrum disponuntur ante faldistoria, & scamna pro illis parata extra Cancellos dictae Capellae, itaut juniores sint propè Crucem stantem ante gradus transversae partis Ecclesiae.

12. Magistratus accedit ad propria subsellia in fine Canonicorum, servato aliquali recessu.

13. Secretarii, & Notarii accedunt ad scabella disposita juxtà mensam pro ipsis paratam.

14. Theologi in scamnis retro Canonicos.

15. Canonici Collegii S. Bartholomaei in scamnis retro Episcopos.

16. Metropolita genuflectit apud faldistorium in medio Capellae; tres alii Patres parati super pulvinaribus in dictis cancellis, & omnes alii pariter genuflectunt in propriis locis.

17. Facta oratione Metropolita surgit, surgentibus omnibus, & stans ante Altare sine mitra intonat: *Adesto Deus &c.* Deindè orationem: *Actiones nostras &c.* Interim alii Patres parati stabunt intra cancellos ante sua faldistoria in ingressu Cappellae hinc indè disposita.

18. Absoluta Oratione, ut supra, Cantores incipiunt psalmodiam eis praescriptam, à qua nunquam cessabunt, dum sequentia fiunt usque ad n. 37.

19. Metropolita, accepta mitra, sedet in faldistorio in cornu Epistolae, ut alias, sedentibus omnibus.

20. Amovetur suppedaneum tapete Altaris.

21. Accedentibus Patribus Ponente, & Promotore, & aliis de jure vocandis, recognoscitur Altare dictae Capellae.

22. Metropolita stans apud dictum Altare cum scalpello incipit amovere lapidem ipsius, & iterum sedet.

23. Artifices prosequuntur Altaris aperitionem.

24. Amoto lapide expolitur Arca, & locus, qui recognoscitur, ut supra.

25. Arca aerea per quatuor Mansionarios elevatur ab Altari, & per Metropolitam, & Patres paratos defertur, & Collocatur super mensam paratam extra cancellos in medio Consessus.

26. Iisdem adstantibus, per Ponentem, & Promotorem Arca supradicta recognoscitur, & describitur.

27. Item recognoscûtur sigilla plumbea, & cerea ipsam obsignantia.

28. Arca recognita exterius, aperitur.

29. Recognoscitur, & describitur capsula marmorea interiùs reperta.

30. Per Metropolitam, & dictos Patres paratos extrahitur, & collocatur supra Feretrũ per Capellanos elevatum, in quo vittis sericis firmatur.

31. Accedente interim Archidiacono cum Thuriferario, Metropolita ministrat incensum de more.

32. Stans sine mitra thurificat dictam Arculam, deindè accepta mitra cum aliis

aliis Patribus paratis Feretrum bajulat.

33. Interim omnes processionali ritu ad Secretarium revertuntur ordine sequenti.

- j. Ostiarii.
- ij. Theologi.
- iij. Secretarii, & Notarii.
- iv. Canonici Collegii S. Bartholomæi, & Cantores.
- v. Mazzerius.
- vj. Cruciferarius cum Cruce inter Ceroferarios.
- vij. Canonici Metropolitanæ Ecclesiæ decantantes Psalmos cum Cantoribus, ut supra.
- viij. Patres non parati cum Caudatariis.
- ix. Minister cum Pastorali.
- x. Thuriferarius.
- xj. Metropolita, & tres Patres parati capsam marmoream in Feretro gestant, Diaconis assistentibus, & Capellanis ministrantibus.
- xij. Magistratus cum luminibus, hinc inde.

34. In dicto Secretario, deposita Cruce, & Candelabris de more, Canonici, Patres nõ parati, Magistratus, & alii petunt sua loca, ut priùs n.5.

35. Capsa marmorea collocatur super mensam in medio dicti Secretarii aptatam; amovetur Feretrum; & Metropolita in sua sede aliquantulum sedet.

36. Tres alii Patres parati deponunt paramenta apud faldistoria, & deindè, amotis faldistoriis, inter alios recedunt.

37. Metropolita paratus, ut supra, accedit ad mensam; & ibi (silente Choro, qui psallebat, ut in num. 18.) deposita mitra, versus Altare inchoat Hymnum: *Veni Creator spiritus &c.* omnibus genuflectentibus ad primos versiculos, ut alias; & Cantores illum prosequuntur.

38. Capsula aperitur, & pro gratiarum actione intonatur per Metropolitam: *Te Deum &c.*

39. Iterum, accedente Archidiacono cum Thuriferario ad Metropolitam, ministratur incensum.

40. Metropolita, & Singuli Patres successivè Reliquias thurificant, ministrante thuribulum Archidiacono; deindè idem Archidiaconus, & alii Canonici Metropolitanæ, Abbates, Canonici Collegiatæ, & cæteri Sacerdotes cum superpelliceis eas pariter thurificant.

41. Absoluto Hymno, & dicto ℣. *Benedicamus Patrem &c.* Metropolita subjungit orationem: *Deus cujus misericordiæ &c.* pro gratiarum actione, Archidiacono librum sustinente.

42. Metropolita, accepta mitra, sedet in faldistorio in Capite dictæ mensę; & Chorus reassumit psalmodiam, ut in n. 18.

43. Procedit ad recognitionem Capsulæ supradictæ, & Ossiũ, juxtà antiquas Ecclesiæ regulas.

44. Successivè à ministris Ossa expoliuntur, una cum dicta Capsula, & si qui sunt cineres, ab ossibus segregantur.

45. *Ob supervenientiam noctis dilata fuit distincta recognitio eorumdem per Patres; quapropter.*

46. Metropolita, iterum ministrato incenso, ea thurificat, ut supra, & interim cantatur Ant. *Sancti, & Justi &c* cum ℣. *Pretiosa &c.*

47. Oratio de S. Bartholomæo per eundem, Archidiacono librum sustinente.

48. Metropolita apud sedem, depositis paramentis rubei coloris, accipit alba, & ante Altare benedicit vitrea Vasa, ubi Ossa sunt reponenda, ut in Pontificali.

49. Ossa expolita collocantur in supradictis Vasis vitreis.
50. Vasa vitrea cum ossibus &c. collocantur in capsula decenter ornata.
51. Clauditur Capsula, & vitta serica & sigillis tam Metropolitæ, quàm Episcopi Promotoris munitur.
52. Per Metropolitam reponitur in armario Reliquiarum retro Altare dicti Secretarii, quod clavibus recluditur, & hæ traduntur Promotori.
53. Sedente Metropolita in fede, & aliis in propriis locis, Notarii de his omnibus publicum conficiunt documentum.
54. Metropolita deponit sacras vestes.
55. Omnes tandem facta brevi oratione ante Altare Secretarii, ordine quo venerant, discedunt.
56. Metropolita cum aliquibus Religiosis Viris, ad minus sex, remanet pro sacris Vigiliis, Psalterii Davidici incipiendo recitationem.
57. Statis horis alii Religiosi subsequuntur juxta tabellam &c.

C A P V T II.

De publica Ostensione Sacri Corporis ob Magistratus instantiam, & distincta Ossium Numeratione, Recognitione, & Specificatione.

§. I.

De Ostensione Sacri Corporis publicè facienda.

1. Accessus ad Secretarium eo modo, & forma, qua supra Cap. I. n. 1. 2. 5. & 6.
2. Instantia Magistratus ad Metropolitam, ut Populi devotioni consulatur reliquiarum ostensione.
3. Metropolita exponit instantiam Patribus.
4. Patrum assensus.
5. Item Metropolita proponit tempus recognitionis in crastinum, propter deficientiam temporis, & modum in ea servandum.
6. Approbatio Patrum.
7. Distribuuntur paramenta pro Metropolita, & tribus aliis Patribus, ut supra cap. I. n. 7. 8.
8. Metropolita in propria sede per Diaconos assistentes, & tres alii Patres in faldistoriis per Capellanos induuntur sacris vestibus.
9. Idem Metropolita cum Episcopo Promotore accedit ad Armarium Reliquiarum, quod recognoscitur, & statim aperitur.
10. Extrahitur Capsula, & reponitur super mensam paratam per Metropolitam.
11. Capsula exteriùs recognoscitur, & aperitur.
12. Archidiaconus cum Thuriferario ad Metropolitam.
13. Ministratur incensum, & Reliquiæ turificantur dum per Cantores cantatur hym. *Tristes erant Apostoli, &c.*
14. Absoluto hymno Vasa vitrea extrahuntur, Patribus, ac aliis adstantibus ostēduntur, & iterum in Arcula reposita, collocantur supra Feretrū.
15. Iterum ministratur incensum more solito.
16. Ordinatur, & dirigitur processio per breviorem ad Altare majus hoc ordine.
   - j. Ostiarii.
   - ij. Theologi.
   - iij. Canonici Collegii S. Bartholom.
   - iv. Mansionarii Cantores Psal. 118. decantantes.
   - v. Mazzerius cum Scutiferis.
   - vi. Cruciferarius cum Cruce inter Cero-

Ceroferarios.
vii. Canonici Ecclesię Metropolit.
viii. Patres omnes non parati.
ix. Minister cum Pastorali.
x. Thuserarius.
xi. Feretrum delatum per Metropolitam,& tres alios Patres paratos,ut supra.
xii. Magistratus cum luminibus hinc inde.
17. In Presbyterio omnes sua petunt loca, ut aliàs,Theologi ad anteriores Altaris cancellos accedunt ; & Magistratus extra Cancellos.
18. Arcula removetur à Feretro , & collocatur super Altare per Metropolitam,& seniorem ex dictis Patribus.
19. Aperitur Arcula per dictum Metropolitam, adstantibus ibidem Patribus paratis.
20. Ministratur incensum , & Arcula thurificatur.
21. Metropolita cum duobus senioribus Patribus paratis, Diaconis assistentibus , & Capellanis ad Ambonem decenter ornatum pro Ostensione prædicta,remanente ultimo apud Altare in faldistorio ad custodiam.
22. Sermo Metropolitæ ad Populum.
23. Episcopus Promotor apud Altare uni ex Canonicis Metropolitanę tradit porrigenda Metropolitæ Vasa vitrea, & plumbeas Inscriptiones.
24. Singula Vasa vitrea,& Inscriptiones per Metropolitam populo ostenduntur,& per unum ex Patribus paratis clara voce legitur catalogus de quantitate,& qualitate ossium.
25. A Promotore iterum vasa reponuntur in Arcula.
26. Metropolita cum dictis Patribus ab Ambone revertitur ad Altare, ubi deposita Mitra intonat hymn. *Te Deum*, &c. ad reddendas pro Populo gratias Deo.
27. In fine hymni per Metropolitam incensatur Arcula;eoq;completo,*post versiculos* pro gratiarum actione de S.Apostolo, & pro Pace subjunguntur *Orationes* iisdem respondentes ; Archidiacono librum sustinente.
28. Clauditur Arcula per Metropolitam, & Promotorem, & supra Feretrum collocatur.
29. Processionali ritu, ut supra n. 16. fit regressus ad Secretarium , Cantoribus interim decantantibus Psal. 33.
30. Omnes sua petunt loca.
31. Arcula removetur à Feretro , & collocatur super mensam.
32. Feretrum defertur per Acolythos ad Sacristiam minorem.
33. Metropolita apud sedem mutat paramenta, ut in Cap.I.n.48.& ante Altare , accedente Presbytero assistente, benedicit porphyreticam Urnam,in qua vasa Vitrea cum Ossibus collocari debent, ut infra §. seq.
34. Absoluta benedictione,Metropolita iterum ministrat incensum, adjuvante Archidiacono,& Arculam thurificat.
35. Interim per Cantores cantatur Antiph. *O Princeps Apostolice,&c.* cum suo ℣.
36. *Oratio* per Metropolitam , Archidiacono librum sustinente.
37. Sigillatur Arcula;Patribus,& circumstantibus ostenditur , ac tandem reponitur cum solitis cautelis in Armario Reliquiarum.
38. Sedente Metropolita in sede, & aliis in propriis locis, Notarii de his omnibus conficiunt instrumentum.
39. Metropolita,& Patres parati deponunt sacras vestes.
40. Post brevem Orationem, Patres, & alii dimittuntur.
41. Continuantur Vigiliæ per Metropolitam,& alios Religiosos,ut in Tabella.

§. II.

§. II.

De distincta Ossium Numeratione, Recognitione, & Specificatione per Anatomistas facienda.

1. Accessus Metropolitæ, nonnullorum Patrum, Theologorum, Notariorum, Anatomistarum, & Testium ad Secretarium.
2. Iidem post solitam orationem ad Armarium Reliquiarum pro recognitione, & ejusdem aperitione.
3. Antiphona *O Princeps Apostolice &c. V. & oratio* per Metropolitam.
4. Per eundem defertur Arcula supra mensam paratam in medio Secretarii, quæ pariter recognoscitur, & aperitur.
5. Patres supradicti, & Anatomistæ procedunt ad Ossium numerationem, recognitionem, & nominum specificationem, juxta decreta Synodi sub diebus 10. & 11. Maii.
6. Ossa, & Cineres secernuntur, & in distinctis ampullis vitreis includuntur.
7. *Hoc medio tempore per Synodi Secretarium vocatus fuit pro secreta Congregatione Synodali Eminentissimus Metropolita cum præfatis Episcopis. Ne vero recognitionis actio interrumperetur, Metropolita justa synodale decretum subrogavit suo nomine Episcopum Muranum. & Episcopus Ponens Episcopum Cassanensem, remanente ibidem Episcopo Promotore, pro Continuatione prædictorum nu 5. & 6.*
8. Catalogus sacrarum Reliquiarum juxta peritiam Anatomistarum per Notarios conficitur.
9. *Regressus Metropolitæ, & Episcoporum Ponentis, & Trojani ad Secretarium, absoluta Synodali Congregatione.*
10. Depositio Anatomistarum de omni adhibito studio, ac diligentia.
11. Ampullæ vitreæ sigillantur, & in capsula reponuntur.
12. Capsula pariter sigillatur, & in Armario reponitur; quod statim clauditur, ut alias.
13. Conficitur instrumentum per Notarios.
14. Post solitam orationem omnes dimittuntur de more.

CAPUT III.

De iis omnibus, quæ die præcedenti ad Translationem facienda sunt.

§. I.

Decreti super Translatione Corporis S. ti Bartholomæi lati sub die 10. Maji in publica Synodali Congregatione, & aliorum lectio, & publicatio de mane persolvenda in II. sessione Synodali.

1. IN II. Synodali sessione servantur omnia, ut in Methodo antecedentis Cōcilii typis data anno 1693. in cap. III. §. I. & II. usque ad n. 34. inclusivè.
2. Metropolitæ mandatum ex consensu Patrum, ut per Secretarium legatur, & solemnius publicetur decretum super Translatione Corporis S. Bartholomæi, latum in publica Congr. Synodali sub die 10. Maji.
3. Publicatio dicti decreti per Secretarium.
4. Metropolita, & Patres respondebunt *Deo gratias.*
5. Item mandatum de publicatione instrumentorum, ut infra.
6. Publicantur instrumenta rogata, videlicet.
   - j. Elevationis: die 11. Maji.
   - ij. Ostensionis: die 12. Maji.
   - iij. Numerationis, recognitionis, & specificationis ossium dicti Corporis:

ris: die 13. Maji.

7. Instantia Episcopi Ponentis ad Synodum pro nova ostensione Sacrarum Reliquiarum DD. Episcopis facienda, qui nuper advenerunt post primam ostensionem, & etiam exteris de populo.

8. Metropolita exquirit Patrum consensum.

9. Per Patres dicitur: *Placet*.

10. Decretum Metropolitæ pro dicta ostensione.

11. Accessus Episcoporum Ponentis, & Promotoris cum Canonicis, Cæremoniario, & Acolythis ad Secretarium.

12. Aperitur Armarium Reliquiarum per Episcopum Promotorem, extrahitur Capsula, & dictis Episcopis Promotori, & Ponenti traditur.

13. Interim aperiuntur fores Ecclesiæ per Ostiarios, & sericum tapetum expanditur in Ambone.

14. Patres supradicti, Canonici, & Acolythi cum intorticiis processionali ritu capsulam deferunt ad Altare majus, Cantores interim cantant hymnum *Tristes erant Apostoli*; & alios psalmos.

15. Capsula prædicta Patribus ostenditur, recognoscitur, & aperitur, ut aliàs.

16. Metropolita cum dictis duobus Patribus, & suis assistentibus ad Ambonem cum dicta capsula.

17. Ampullæ vitreæ cum Sacris Reliquiis Patribus, & populo ostenduntur, juxta ordinem in Catalogo descriptum, qui ex adverso Ambone per Secretarium alta voce legitur.

18. Metropolitæ propositio, Patrum assensus, & decretum de servanda una ex ampullis extra urnam.

19. Recedente Metropolita cum supradictis ab Ambone, capsula reponitur super Altari, & sigillis denuò munitur.

20. Iidem, qui supra num. 14. cantantes psal. 18. processionali ritu capsulam deducunt in Secretarium, & in Armario custodiendam reponunt.

21. Regressus Episcoporum, & aliorum ad consessum Synodalem.

22. Interim prima sessio Synodalis stato ritu absolvitur, juxtà methodū superius citatam à n. 35. usq; ad 54.

§. II.

Ampullarum distinctio per schedularum appositionem, Repositio in nova urna porphyretica, & publica Expositio à prandio absolvenda.

1. Metropolitæ accessus ad Secretarium cum Patribus, Capitulo, & Clero Metropolitano, & aliis.

2. Post solitam orationem omnes sedent in propriis locis, ut in antecedenti servatum fuit.

3. Distribuuntur paramenta nobiliora rubei coloris pro Metropolita, & Canonicis.

4. Metropolita induitur sacris vestibus per Diaconos assistentes, & Canonici omnes per Acolythos.

5. Per eundem, & Patres recognoscitur Armarium Reliquiarum, quod aperitur.

6. Arcula reverenter extrahitur, & collocatur super Altare Secretarii per dictum Metropolitam, adjuvantibus Diaconis assistentibus.

7. Recognoscitur exterius Arcula, & aperitur.

8. Ministratur incensum de more, & incensatur Arcula; interim cantatur hymnus: *Tristes erant Apostoli, &c.*

9. Absoluto hymno mandat Metropolita, ut in ampullis exterius apponantur schedulæ de pergameno, ibique adnotentur nomina Reliquiarū juxtà

juxtà sensum, & peritiam Anatomistarum.

10. Deputatio Ponentis, & Promotoris ad hunc effectum per Patres.

11. Metropolita cum aliis Patribus, Canonicis paratis, ut supra, & aliis de Clero processionali ritu accedit ad Capellam SS. Sacramēti, deindè ante Altare majus pro solitis orationibus, ac tandem ad propriam sedem, cæteris sua loca petentibus.

12. Vesperæ de Translatione decantantur per eundem, ut in crastinum celebraturum.

13. Dum dicitur Cant. *Magnificat, &c.* tres ex antiquioribus Patribus ad Secretarium pro paramentis.

14. Absolutis Vesperis, Metropolita accedit ad[redacted] & Sacras Reliquias in ampullis vitreis reclusas reponit in nova urna porphyretica.

15. *Ex his una excipitur, quæ reposita fuit in Armario Reliquiarum sub custodia Thesaurarii, ut confluentis populi devotioni satisfieret in posterum.*

16. Accedente Archidiacono cum Thuriferario, Metropolita ministrat incensum, & Reliquias thurificat.

17. Clauditur urna circulis cum radiis ferreis, & vitta serica, quæ tantùm sigillis firmatur, & sequenti die collocari possint in ea novissimæ inscriptiones.

18. Interim per Acolythos feretrum pro dicta urna pulchrè elaboratum defertur ante Altare.

19. Metropolita inchoat Ant. *Exultabunt Sancti, &c.* quam schola prosequitur cum psalmis 149. & 150.

20. Urna collocatur, & firmatur supra dictum feretrum.

21. Dirigitur processio ad Altare majus, modo, quo infra.

j. Ostiarii.
ij. Clerici Seminarii.
iij. Mansionarii.
iv. Mazzerius cum Scutiferis.
v. Cruciferarius paratus cum Cruce inter Ceroferarios.
vj. Canonici parati ordine eorum.
vij. Patres non parati cum Caudatariis.
viij. Minister cum Pastorali.
ix. Thuriferarius.
x. Metropolita, & Patres parati feretrum gestant, adjuvantibus Diaconis assistentibus, & Capellanis respectivè.
xj. Magistratus hinc inde cum luminibus.
xij. Ministri parati.
xiij. Dominus Gubernator.
xiv. Protonotarii.

22. In Presbyterio, & Choro omnes petunt sua loca: & Magistratus extra cancellos in subselliis suis.

23. Urna removetur à feretro per Metropolitam, populo ostenditur, & collocatur in cornu Epistolæ Altaris majoris. Tres Patres parati petunt loca ante alios Patres non paratos, & feretrum defertur ad Sacristiam.

24. Absolutis psalmis, Metropolita ministrat incensum, accedente Archidiacono, & Thuriferario.

25. Detecto capite Reliquias thurificat.

26. Interim repetitur Antiph. *Exultabunt Sancti, &c* cum ℣. *Pretiosa.*

27. *Oratio* per Metropolitam, Archidiacono librum sustinente.

28. Datur benedictio solemnis.

29. Facta tandem brevi oratione omnes redeunt ad Secretarium, ubi parati deponunt paramenta, & ordine, quo venerant recedunt, excepto Metropolita, qui revertitur ad Chorum pro vigiliis de more: Populus interim Psalterium B. M. V. devotè recitat.

30. Prosequuntur vigilias Collegia, & Parochiæ Civitatis juxtà Tabellam

lam per totam noctem sine intermissione.

C A P. IV.

De ipso die ad solemnem Reliquiarum Translationem deputato.

§. I.

De iis omnibus, quæ facienda sunt de mane.

1. Sonus festivus Campanarum in Metropolitana pro horis Canonicis, & suo tempore pro Missa.
2. Matutinum cum laudibus cantatur per Metropolitam juxtà Cæremoniale.
3. Patres ad Ecclesiam pro Missis celebrandis; & deindè in Secretario suo tempore Metropolitam excipiét.
4. Absoluta Prima, Metropolita solito Comitatu ad Secretarium, sequentibus Canonicis.
5. Salutatis Patribus, & facta oratione, accedit ad Sedem cum Diaconis assistentibus, & Archidiacono apud eundem in primo sedili.
6. Canonici ad Aulam S. Barbati pro paramentis, deindè ad Secretarium in propriis locis cum Diacono, Subdiacono, & Cruciferario parato, præcedentibus Acolythis.
7. Tertia cantatur de more, & Metropolita, ut aliàs, accipit sacras vestes, & palliūm, in cujus fine quatuor Mansionarii Ministri accipiunt pluviale.
8. Proceditur ad Missam Pontificalem per Metropolitam cantando hoc ordine:
   - j. Ostiarii.
   - ij. Clerici Seminarii.
   - iij. Mansionarii.
   - iv. Mazzerius cum Scutiferis.
   - v. Thuriferarius.
   - vj. Cruciferarius paratus cum Cruce inter Ceroferarios.
   - vij. Canonici omnes ordine eorum.
   - viij. Patres omnes eodem ordine cum Caudatariis cotta indutis.
   - ix. Subdiaconus paratus cum libro, & manipulo.
   - x. Archidiaconus cum pluviali, & mitra, & à sinistris ejus Diaconus.
   - xj. Minister pluviali indutus cum Pastorali.
   - xij. Metropolita inter Diaconos assistentes paratos.
   - xiij. Ministri parati de libro, bugia, & de mitra.
   - xiv. Dominus Gubernator.
   - xv. Protonotarii.
9. In Presbyterio Clerici, Mansionarii, Canonici, Patres petunt sua loca, & Metropolita apud Altare cum Ministris incipit Missam.
10. Confessio fit per Patres inter se de more, & pari disciplina recitant alia dicenda in Missa.
11. Post Evangelium, incensato Metropolita, habetur sermo per Dominum Episcopum Gravineñ in Ambone Pontificali, pluviali, & mitra indutum, eique septem Diaconi assistent.
12. Dicto Offertorio per duos Consules ex senioribus Civitatis offertur Metropolitæ labarum deferendum in processione: & deindè benedicitur in Capella S. Philippi Nerii per D. Episcopum Bojanensem.
13. Post incensationem oblatorum, & Metropolitæ, Patres incensantur triplici ductu; deindè assistentes dicti Metropolitæ, Dominus Gubernator, & Canonici per Diaconum, Magistratus per Canonicum Cæremoniarium, Mansionarii, & alii per Mansionarium, & Thuriferarium respectivè.

L Abso-

14. Absoluta prima Orat. post *Agnus Dei, &c.* Archidiaconus accipit pacem à Metropolita,& eam defert antiquioribus Patribus in primis locis hinc inde stantibus; deindè Gubernatori, & aliis Canonicis de Choro; Magistratui per instrumentum, à dicto Cæremoniario delatum, osculum pacis datur.

15. Interim cappæ Canonicorum disponuntur in sedilibus Secretarii.

16. Absoluta Missa fit regressus ad Secretarium ordine quo supra.

17. Canonici,& Patres hinc inde accedunt ad propria loca.

18. Metropolita in sua Sede deponit sacras vestes per manus Diaconi, & Subdiaconi, recedentibus Diaconis assistentibus, qui cum cæteris Canonicis, depositis paramentis, cappas accipient.

19. Metropolita, accepta cappa, deponit sandalia ministerio Subdiaconi; recitans interim Psalmos pro gratiarum actione cum dictis Diaconis assistentibus.

20. Post gratiarum actionem comitatus discedit.

§. II.

De iis omnibus, quæ facienda sunt à prandio cum solemni Reliquiarum Processione.

1. SOnus festivus Campanarum immediatè post prandium pro Vesperis, & Processione.

2. Sodalitates Diœcesis,&Civitatis, & Regulares omnes ad Metropolitanam in locis pro iisdem distributis.

3. Clerus sæcularis Civitatis, Diœcesis, & Provinciæ ad eandem; ad Aulas deputatas pro eorum habitu chorali;& tandem ad propria sedilia.

4. Hora præscripta Patres, Canonici Metropolitanæ, Mansionarii, & Clerici Seminarii ad Archiepiscopium.

5. Metropolita solito comitatu ad Ecclesiam.

6. Solitas orationes persolvit antè SS. Sacramentum, & prolixas antè Altare majus.

7. Canonici interim sacris induuntur paramentis in Choro; & Ministri cum Cruciferario in Sacristia minori.

8. Item paramenta pro Metropolita, super Altare Secretarii disposita, distribuuntur.

9. Metropolita, salutatis Patribus, accedit ad sedem cum duobus Diaconis assistentibus; induitur sacris vestibus, & procedit ad Vesperas de more.

10. Incepto primo Psalmo Vesperarum dirigitur Processio à Metropolitana ad Ecclesiam S. Bartholomæi, ut infrà n.20.

11. Dum dicitur ultimus Psalmus earundem, Abbates Regulares, & Seculares, Vicarius Alberoni, Procuratores Patrum absentium, & Capitulorum Provinciæ, Promotores,& Collegia Civitatis, & Diœcesis ad Secretarium, & ad Aulam S.Barbati, Archipresbyteri Diœcesis, & Subdiaconus Crucem Capituli delaturus ad Aulam majorem Archiepiscopii, deindè ad propria loca, ut prius.

12. Sex Acolythi ad Secretarium, & duodecim alii ad dictas Aulas pro iis adjuvandis.

13. Acolythi item pro paramentis Patrum ad dictum Secretarium.

14. Absolutis Vesperis sine benedictione in fine, Patres induuntur, stantes antè Faldistoria, sacris vestibus per Capellanos.

15 Me-

15. Metropolita sedens cum mitra ministrat incensum in tribus thuribulis ministerio Archidiaconi.

16. Apud Altare detecto Capite Urnam incensat; & interim Cantores cantant Ant. *Cum jucunditate exhibitis &c.* & successivè assiduè Psalmos, prout in Tabella.

17. Incensatis Reliquiis, Archidiaconus recedit inter Canonicos.

18. Dum Psalmi, ut supra, decantantur, Metropolita cum Episcopis Ponente, & Promotore, adstantibus, & videntibus aliis, recognoscit exterius Urnam, quam deindè aperit, & in ea reponit plumbeas inscriptiones, antiquas scilicet, & novissimas cum Bulla plumbea Archiepiscopali, & sigillis Patrum, ac numisma argenteum, quæ omnia gossipio firmat. Tandem Urnam ipsam claudit, circulis, & radiis ferreis firmat, & vitta serica ligat.

19. Urna collocatur super Feretrum, quod Metropolita cum tribus aliis Patribus (ille incessanter, alii alternatim) defert suo tempore in Processione.

20. Ordo autem servandus in dicta Processione hic erit.

j. Tibicines.

ij. Mazzerii duo Processionem dirigentes.

iij. Sodalitates Diœcesis, & Civitatis, quælibet suo ordine sub proprio Vexillo cum Capellanis deputatis Psalterium B. M. V. recitantes.

iv. Octo Directores eorundem.

v. Duo alii Mazzerii.

vj. Nobiles adolescentes cum intorticiis.

vij. Labarum, seù Vexillum cum imagine S. Bartholomæi Apostoli per viros nobiles deferendum.

viij. Cæteri nobiles viri illud sequentes, & comitantes cum luminibus.

ix. Duo Directores ex Mansionariis pro iisdem.

x. Regulares omnes Ordine eorum cum luminibus hinc indè alternatim assiduè decantantes Psalmos, ut in Tabella.

xj. Duo Directores eorundem.

xij. Crux Capituli Metropolitani per Subdiaconum paratum sine candelabris.

xiij. Clerici Seminarii cum eorum Directore, & Tabellis precum.

xiv. Clerici omnes Diœcesis juxtà eorum ordines, & gradus, cum Tabellis.

xv. Clerici omnes Civitatis eodem ordine, quo supra.

xvj. Duo Directores eorundem.

xvij. Duo Cantores.

xviij. Subdiaconi, & Diaconi Diœcesis, & Civitatis cum eorum Directore, & Tabellis.

xix. Presbyteri omnes Diœcesis, & Civitatis cum quatuor Directoribus, & Tabellis.

xx. Duo Cantores.

xxj. Æconomi Ecclesiarum Parochialium Diœcesis cum stolis rubei coloris, Directoribus, & Tabellis.

xxij. Rectores Ecclesiarum Parochialium Diœcesis modo quo supra num. antecedenti.

xxiij. Duo Cantores.

xxiv. *Subsequi deberent Mansionarii Ecclesiæ Metropolitanæ; quia verò Cantorum, & Ministrorum munera exercere debent, ideò inter paratos sequentes distribuuntur.*

xxv. Decretalistæ, & Theologi Cōcilii.

xxvj. Notarii, & Secretarii ejusdem.

xxvij. Mazzerius Metropolitæ cum duobus Scutiferis.

xxviij. Thuriferarius cũ thuribulo.

xxix. Crux Archiepiſcopalis per Cruciferum paratum inter ceroferarios.

xxx. Archipresbyteri Diœceſis cũ pluvialibus, luminibus, Directoribus, & Tabellis.

xxxj. Duo Cantores.

xxxij. Quinque Collegia Diœceſis cum Tunicellis, Dalmaticis, Planetis,& Pluvialibus reſpectivè, cum luminibus, Directoribus, & Tabellis.

xxxiij. Duo Cantores.

xxxiv. Duo Collegia Civitatis cum paramentis, luminibus, & Tabellis, ut ſupra n.32.

xxxv. Octo Manſionarii parati cũ Pluvialibus, & Tabellis,poſtquam Conſules in egreſſu Eccleſiæ ab ipſis accipient haſtas baldachini.

xxxvj. Promotores Synodales cum pluvialibus, & luminibus.

xxxvij. Procuratores Capitulorum Cathedralium cum pluvialibus, luminibus, Directoribus, & tabellis.

xxxviij. Duo Cantores.

xxxix. Procuratores Patrum Comprovincialium cum pluvialibus, Directoribus, luminibus, & tabellis.

xl. Vicarius Ordinarius Alberoni poſt eoſdem.

xlj. Duo Cantores.

xlij. Abbates Diœceſis uſum mitræ habentes cum pluvialibus, & mitris lineis albis, luminibus, Directoribus, & tabellis.

xliij. Abbates Regulares parati, ut ſupra.

xliv. Duo Cantores ex Manſionariis.

xlv. Canonici Metropolitanæ Eccleſiæ parati ordine eorum cum Directoribus, & tabellis.

xlvj. Duo Manſionarii Cantores.

xlvij. Patres juxtà eorum ordinationem cum duobus Capellanis, Caudatario, Tabellis, & Directoribus.

xlviij. Duo Manſionarii Cantores.

xlix. Miniſter paratus cum Paſtorali.

l. Thuriferarii duo.

lj. Baldachinum deferendum ab octo Manſionariis cum pluvialibus intra Eccleſiam; extrà verò à Magiſtratu, & nobilibus viris, ut in num.35.

lij. Metropolita, & tres alii Patres, cum Mitra feretrum bajulantes, elevantibus extremitates Pluvialiũ Diaconis aſſiſtentibus, & Capellanis reſpectivè.

liij. Miniſtri parati de libro, bugia, & mitra.

liv. Gubernator, Magiſtratus, & cæteri Officiales Civitatis.

lv. Reliqui de populo ſubſequuntur Pſalterium B.M.V. decantantes cũ eorum Parochis, qui ſexus diviſionem ſedulò ſervari curabunt.

21. In Eccleſiis Monialium, & in aliis locis, ubi Altaria eriguntur, feretrum deponitur.

22. Metropolita ſtans cum mitra miniſtrat incenſum, accedente Archidiacono cum Thuriferario.

23. Depoſita mitra thurificat Reliquias; interim per Cantores cantatur ant. *Sancti, & juſti, &c.* & ℣.*Pretioſa, &c.*

24. *Oratio* per eundem, Archidiacono librum ſuſtinente.

25. In acceſſu ad Eccleſiam S. Bartholomæi Sodalitates Laicorum, Regulares, & Clerus Secularis non paratus, nulla interpoſita mora, facta genuflexione Altari, exeunt, & per varias lineas diſponuntur inter dictam Eccleſiam, & Metropolitanam pro neceſſitate loci.

No-

26. Nobiles viri cum labaro, seù vexillo, omnes parati, & Magistratus Ecclesiam S. Bartholomaei ingrediũtur, & in ipsa disponuntur, ut infra.

j. Dicti nobiles cum labaro propè Capellas laterales.

ij. Cruciferarius, & Ceroferarii deponunt Crucem apud Altare, & abacum de more, & ibidem Thuriferarius expectat.

iij. Archipresbyteri Dioecesis, Collegia, Procuratores Capitulorum Provinciae stabunt hinc inde inter januam Ecclesiae, & Altare.

iv. Promotores Synodales, Procuratores Patrum in sedili inferiori Chori ex parte sinistra.

v. Abbates Seculares, & Regulares cum Vicario Ordinario Alberoni in sedili inferiori ejusdem ex parte dextera.

vj. Canonici Metropolitanae hinc inde in propriis sedilibus juxtà Chorum, & Altare dispositis.

vij. Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Bartholomaei in sedilibus post dictos Canonicos Metropolitanae paratis.

viij. Decretalistae, & Theologi post dictos Canonicos stabunt.

ix. Patres omnes hinc inde in sedilibus superioribus Chori, excepto seniore, qui in plano cornu Epistolae vices Metropolitae in feretri sustentatione supplebit, ut infra num. 31. & Capellani in plano dicti Chori per lineas.

x. Protonotarii in fine Canonicorum.

xj. Gubernator, & Magistratus in propriis subselliis extra Chorum collocatis.

xij. Notarii, & Secretarii in locis, & mensa pro ipsis paratis.

27. Sodalitates supradictae, Clerus Regularis, & Secularis non paratus, ut supra num. 25. habita benedictione, & licentia revertuntur ad Metropolitanam continuando processionem.

28. Hi omnes taliter procedere debent morosè, ut persolutis infrascriptis, reliqui parati possint illos subsequi.

29. In ingressu feretri ad Basilicam Hymn. *Te Deum, &c.* per Cantores, & omnes parati prosequuntur.

30. Ante Presbyterium removetur Baldachinum, & feretrum defertur ante Altare.

31. Senior ex Patribus, ut supra, subintrat in sustentatione feretri loco Metropolitae.

32. Idem Metropolita, facta Sacris Reliquiis reverentia, ascendit inter Diaconos assistentes primum gradũ Altaris, & iis adjuvantibus, removet Urnam à feretro, & collocat super Altare.

33. Per Acolythos removetur feretrum, & quatuor supradicti Patres recedunt inter alios.

34. Metropolita ministrat incensum cum mitra, accedente Archidiacono cum thuriferario, deide capite detecto Reliquias thurificat; interim prosequitur, & absolvitur Hymnus. *Te Deum.*

35. Subsequuntur ℣℣. *Benedicamus Patrem, &c. Ora pro nobis S. Dei Genitrix. Pretiosa &c. Fiat pax &c.* per Cantores.

36. Orationes *pro Gratiarum actione, de B. Maria, de S. Bartholomaeo, & pro Pace* per Metropolitam, Archidiacono librum sustinente.

37. Benedictio solemnis per eundem.

38. Archidiaconus publicat Indulgentias plenarias à Summo Pontifice concessas pro dicta die.

39. Metropolita sedet apud Altare in faldistorio, & accepta mitra oblationes

nes intotticiorum recipit ab offerentibus.

40. His absolutis Cantores cum Canonicis Ecclesiæ S. Bartholomæi inchoant,& prosequuntur Psalmos 88. & 102.cum aliis ex Gradualibus, dū sequentia fiunt.

41. Metropolita amoto Faldistorio ab Altari, cum Episcopo Ponente, & Promotore,adstantibus aliis, procedit ad omnimodam Urnæ sigillationem, ac consignationem.

42. *Nè Patres deinde nimis gravarentur ob functionis prolixitatem, omnes cum Canonicis ritu processionali ad Ecclesiā Metropolitanam fuerunt dimissi, in qua cantata per Cantores Ant. & ℣. Senior ex Patribus, qui fuit Dominus Episcopus Minerbineñ. subjunxit* Collectam de Sancto, *& tandem Patres in Secretario, reliqui in locis deputatis sacra paramenta deposuere, & Confraternitates,ac Regulares ad propria rediere.*

43. *In Basilica S.Bartholomæi remansere Metropolita cum Episcopis Ponente, & Promotore,& Diaconis. Assistentibus Canonici Basilicæ,Notariis,Testes,Magistratus, &c.*

44. Metropolita, adjuvante Episcopo Ponente, & Diaconis assistentibus defert, & collocat Urnam in camera subtus Altàre.

45. Foramen dictæ Cameræ clauditur sua craticula ex ferro, & aurichalco confecta.

46. Metropolita ad Sedem cum Diaconis, & hoc sedente, omnes pariter sedent in propriis locis.

47. Brevis sermo per Metropolitam ad Canonicos Basilicæ.

48. Rogitus Actorum per Notarios.

49. Metropolita, Patres,& Canonici, facta brevi oratione ante Altare,processionali ritu accedunt ad Secretarium dictæ Basilicæ, ubi sacra paramenta deponunt.

50. Metropolita, & Patres solito comitatu discedunt.

51. In dicta Basilica solemnitas continuatur usque ad octavum diem: & tunc quotidie integrum Davidicum Psalterium in tribus diversis horis distinctum recitabitur.

Prædicta acta sunt Beneventi diebus XI. XII. XIII. XIV. & XV. mensis Maij anno Domini 1698. cum XXIV. Pontificibus.

Ita est Januarius Ferolla Abbas Infulatus S. Marci, & Sylvestri S.Angeli ad Scalam,hujus Diœcesis Magister Cæremoniarum.

BULLA

		Errata	Corrige.
Pag. 7.	v. 3. marg.	1016.	1017.
	v.25.	aurifrigio	auriphrygio
	v.37.	Guglielmo Halmespurgen.	Gulielmo Maldesburgensi
pag. 9.	v.36.	fasta	fastus
pag.10.	v.14.	1083.	1073.
pag.11.	v.38.	XI.	IX.
pag.12.	v. 1. marg.	1317.	1337.
	v. 7. marg.	VII.	VI.
pag.13.	v. 8.	anno 1157.	anno 1153.& Adrian.IV. an.1157.
pag.16.	v.26.	cap.23.	cap.24.
	v.34.	lib.2.	Iste autem lib.2.
pag.20.	v.31.	Frangensis	Pragensis
	v.33.	1090.	1000.
pag.22.	v.38.	anno 975.	anno 973.
	v.39.	953.	973.
pag.34.	v.14.	Gotorum	Gothorum
pag.37.	v. 1. marg.	Appositio	Aperitio
pag.39.	v. 7.	in fine libri	in fine bullæ
pag.44.	v.14.	1698.	1698. hora 21.
pag.47.	v. 7. marg.	clonditur	clauditur
pag.48.	v.18.	Reverendissimo	Reverendo
pag.49.	v.39.	iportavit	asportavit
pag.53.	v.14.	Noster	ubi nos, &c.
pag.54.	v.26.	Reverendissimo	Reverendo
pag.55.	v.13.	hodie	hoc mane.

INDEX

Eorum, quæ in hoc libello continentur.

L. D. B. V., & D. Bartholomæo.

BULLA

ELEVATIONIS, RECOGNITIONIS, OSTENSIONIS, REPOSITIONIS, TRANSLATIONIS, ET CONSIGNATIONIS SACRI CORPORIS GLORIOSISSIMI APOSTOLI S. BARTHOLOMÆI IN NOVA ECCLESIA, BENEVENTI EIDEM ERECTA, DECRETO SACRI CONCILII PROVINCIALIS SECUNDI ANNO DOMINI MDCXCVIII. MENSE MAJO, PRÆSIDENTE EMIN. CARDINALI URSINO ARCHIEP. METROPOLITA CUM ALIIS QUATUORDECIM EPISCOPIS COMPROVINCIALIBUS, ALIISQUE INFERIORIBUS ORDINARIIS, NEC NON QUATUOR ABSENTIUM EPISCOPORUM SUFFRAGANEORUM PROCURATORIBUS, NOVEMQUE EXTERIS EPISCOPIS, SACRAS PRÆDICTAS FUNCTIONES HONESTANTIBUS.

FRATER VINCENTIUS MARIA ORDINIS PRÆDICATORUM, MISERAT. D. TIT. S. SIXTI, S.R.E. PRESB. CARD. URSINUS, S. BENEVENTANÆ ECCLESIÆ ARCHIEP. METROPOLITA DE ASSENSU, ET CONSENSU REVERENDISSIMORUM DD. COEPISCOPORUM NOSTRORUM, QUI IN NOSTRAM S. PROVINCIALEM SYNODUM CONVENERUNT.

Ad perenne rei Monimentum.

Benedictus Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui ita consolatus est nos in omni tribulatione nostra, ut potuerimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura fuerunt, ob Civitatem hanc nostram, decem ab hinc annis, non solum concussam, & terræ moventis tempestatibus jactatam, sed & in ruinam, & pulverem redactam; idem namque misericors, & miserator Dominus, juxtà divitias bonitatis suæ, non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis, quinimò nos erigens elisos, omnia quæ corruerant allevavit, & multis ærumnis, & calamitatibus afflictos, multiplici etiam gaudio, ex Apostoli sui Bartholomæi gloria, consolatus est.

Exordium.

Divinas miserationes cōfitetur.

Terræmotus anni 1688. clades describitur.

I Nemo quippe est, qui nesciat terræmotu diei quintæ mensis Junii anni 1688. tantam accidisse huic nostræ Civitati cladem, quantam neque majores nostri meminerunt, cum nihil integrum remanserit excepta Metropolitanæ Campanaria turri, in qua, juxtà tunc exortum proverbium, inscribi poterat: Beneventum hic fuit. Quæ Urbis facies, quis aspectus tunc rerum undequaque luctuosus, & miserabilis; quæ Civium 1367. interemptio; quæ ædificiorum propè universorum pernicies? Metropolitana quinque naves quassata, trãsversam verò navim cum Choro, Secretariis, & Bibliotecha, dejecta, & prostrata, Archiepiscopio funditùs diruto, Basilica S. Bartholomæi Apostoli, aliis motibus inconcussa, à fundamentis eversa, nec sine acerbissimo doloris sensu cõmemorari potest, nec certe commemorare necesse est, cum non desint qui oculis suis perspexerint, & passi sint, & nos etiam è ruderibus eruti, licet oculis calcario pulvere læsis, & vidimus, & omnium miserias paterna miseratione complexi sumus.

S. Bartholomæi Basilica evertitur.

Sacro Corpori Divi Bartholomæi ruinæ innocuæ.

II Sed in tanta calamitate dives in misericordia sua Deus magnam tribuit spiritualis lætitiæ materiam, futuris omnibus generationibus prædicandam. Ipse nãquè, qui Sanctorum suorum ossa custodit, gloriosissimi Apostoli Bartholomæi Sacratissimum Corpus, sub Basilicæ suæ dirutis parietibus menses circitèr novem altè sepultum, ita custodivit, ut quo modo Arnaldus de Brusacco Ordinis Minorũ prædecessor noster collocaverat, eodem prorsùs aptatum, & servatum invenerimus.

Saraceni ossa Divi Bartholomæi in Insula Lipara disseminant.

à Theodoro collecta Beneventum asportantur.

III. Quod ut clariùs innotescat, rem altiùs repetendam ducimus. Anno siquidem post Christum natum 838. Liparitana Insula ab saracenis occupata, inter cæteras clades, illa cumprimis omnem excessit sævitiam, qua S. Bartholomæi Corporis ossa, ex urna, qua condebantur extracta, nefarii viri dispersere: Theodorus autem monachus, qui fuerat Sacri depositi custos, per quietem ab Apostolo ipso monitus dispersa collegit, & Samnitium classe, quæ feram opem allatura advenerat, Salernum petit, & Sicardo V. Samnitium Principi cælestem tribuit thesa-

urum

urum, quem ille Beneventum detulit, ac pro eo decentèr servando Capellam Cathedrali in Ecclesia statuere cæpit, quam morte præventus imperfectam reliquit, & Ursus Beneventanus tunc Pontifex absolvit, in eamque Corpus transtulit die 25. Octobris anno 839. qui dies publica Diæcesani Cleri prece (quam Litaniarum Synodũ vocant) quotannis celebratur.

Capella in Cathedrali erigitur.

Synodus Litaniarum.

IV. Cum autem pretiosissimum Apostoli Corpus multis miraculis Beneventi fulgere fama ubiquè terrarum referret, Otho III. Imperator *anno ab Incarnatione Domini millesimo, Beneventum venit* (Leonis Ostiensis verbis, juxtà accuratiorem Angeli de Nuce Archiepisc. Rossanensis lectionem, utimur) *& causa pœnitentiæ, quam illi Beatus Romualdus iniunxerat, abiit ad Montem Garganum. Reversusque consequentèr Beneventum, petiit à civibus Corpus S. Bartholomæi Apostoli, qui nihil tunc illi negare audentes, habito cum Archiepiscopo, qui tunc eidem Urbi praerat, consilio, callidè illi pro corpore Apostoli, Corpus B. Paulini Nolani Episcopi, quod satis decentèr apud Episcopium ipsius Civitatis erat reconditum, ostenderunt, & eo sublato, recessit, tali fraude deceptus. Quod postquam rescivit, nimium indignatus, Corpus quidem Confessoris, quod detulerat, honorificè satis apud Insulam Romæ recondidit, sequenti vero tempore perrexit iterum super Beneventum, & obsedit eam undique per dies multos: sed nihil adversus eam prævalens, Romam reversus est. Unde vix ad sua reverti incipiens, mortuus est apud Oppidum, quod nuncupatur Paternum.*

Otho III. Imperat. Corpus S. Bartholomæi petit.

ejus vice corpus S. Paulini deceptus reportat.

V. Cum itaque S. Pontifex Paulinus, qui seipsum vivum pro viduæ filio Vvandalis tradidit, seipsum quoquè mortalitate functum pro Beatissimo Bartholomæo Apostolo Othoni III. ne tanto thesauro Beneventum viduaretur, tradidisset, Civitas nostra omni defuncta metu, cælesti recondendo thesauro propriam Ecclesiam erigendam curavit, in quam recolen. mem. Arnaldus de Brusacco Ord. Min. Archiepiscopus prædecessor noster sacrum Apostoli Corpus translaturus, à felic: record: Be-

Basilica propria S. Bartholomæo erigitur.

nedicto PP. XII. hanc facultatem petijt, & obtinuit, acceptis Apostolicis literis tenoris, qui sequitur.

Bulla Benedicti PP. XII. de an. 1337. qua Apostolici Corporis trāsferendi Archiepiscopo tribuit facultatem.

Benedictus Episcopus servus servorum Dei Venerabili Fratri Arnaldo Archiepiscopo Beneventano salutem, & Apostolicam benedictionem. Qui suscepta de „ manu Domini superne benedictionis palma in perempnitate consistunt laudis, & glorie devoto metuendi „ sunt animo, & omni veneratione colendi, ut ipsi apud „ divinam clementiam, cujus visione fruuntur, tanto „ promptiùs intercedant pro peccatoribus, quanto eorum „ animos devotiores ad laudandum in sanctis suis Dominum perspexerint, & ad exercitium bonorum operum „ magis aptos. Sane Fraternitatis tuæ petitio nobis nupèr exhibita continebat, quod Tu attente considerans, „ quod Corpus B. Bartholomei Apostoli, quod olim ad „ tuam Benevētanam Ecclesiam extitisse dicitur miraculose translatum, in loco indecenti, & minùs ydoneo ipsi Ecclesie contiguo conservatur, & propterea „ cupiens illud in loco honesto, & honorabili collocari, „ zelo devotionis accensus in quadam speciosa Capella „ Ecclesie predicte similitèr contigua, quam venerando ipsius Apostoli vocabulo insignitam Cives Beneventani jam dudùm ab antiquis temporibus in honorem ejusdem Apostoli construxerunt, locum aptum „ devotum, & ydoneum tuis fecisti sumptibus construi, „ ac etiam preparari, ubi Corpus ipsius Apostoli, & nonnullorum aliorum Sanctorum venerandas reliquias, „ que similiter in despectis locis, & minùs decentibus „ conservantur, ad laudem divini nominis, ac ejusdem „ Apostoli, & totius Curiæ Celestis honorem, devotionemque fidelium, & animarum suarum salutis augumentum cum reverentia debita, & congrua solemnitate transferre desideras, ac etiam collocare. Quarè nobis humilitèr supplicasti, ut transferendi ad dictam „ Capellam Corpus ejusdem Apostoli, & Reliquias memoratas cum debita reverentia, & honore, illaque in „ dicto loco per te in predicta Capella preparato, ut predicitur collocandi licentiam concedere dignaremur.

Nos

,, Nos igitùr devotionem, & propositum tuum in hac ,, parte multipliciter in Domino commendantes, & il- ,, lam de tua sinceritate gerentes fiduciam, quod ad Dei ,, laudem, & gloriam dictorum Apostoli, & Sanctorum ,, reverentiam, & honorem, ac devotionis, & consola- ,, tionis augumentum populi catholici studebis exequi ,, supradicta, licentiam tibi concedimus postulatam. Ut ,, autèm fideles Christi, quos sicut nobis ex debito pa- ,, storalis incumbit officii acceptabiles reddere deside- ,, ramus Altissimo, & libentiùs ad eorumdem Apostoli, ,, & Sanctorum reverentiam invitentur, eoquè frequen- ,, tiùs, & devotiùs ad dictam Capellam ad implorandam ,, ibidem divinam misericordiam pro peccatis, velut ad ,, portum confluant salutarem, quo se potioris ubertate ,, gratie senserint fecundari, de omnipotentis Dei mi- ,, sericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ,, ejus auctoritate confisi, omnibus verè penitentibus, & ,, confessis, qui Capellam ipsam in festo prefati Apo- ,, stoli visitaverint annuatim unum annum, & qua- ,, draginta dies de injunctis eis penitentiis misericordi- ,, tèr relaxamus. Datum Avinioni IV. Mai anno tertio.

Indulgentiæ impartitur.

VI. Qua facultate accepta, Arnaldus in Arca ex ære cyprio affabrè elaborata, de qua inquit: *pro eodem pretioso Corpore collocando, & recondendo in quadam capsa procurata, & excogitata diutiùs pro causa memoriali perenni*: marmoream antiquam arculam inclusit, & antè inclusionem, sacrum Corpus in ipsa jacens recognovit coram Beneventanæ Provinciæ Episcopis, sivè ut ipse inquit: *Corpus &c. quod hodierna die sub testimonio Dominorum Episcoporũ Beneventanæ Provinciæ, publicarum, & aliarum innumerabilium personarum inventum est, & ostensum, cum reverentia debita transtulimus, & recondimus*: proùt latiùs ex infrascripta ejus bulla tenoris subsequentis:

Arca ærea pro marmorea recondenda studiosè procuratur.

Arnaldus miseratione Divina Archiepiscopus Bene- ,, ventanus. Universis Christi fidelibus præsentes lite- ,, ras inspecturis, salutem in eo, qui est omnium vera ,, salus. Rex excelsus, & in Majestate mirabilis, cu- jus

Bulla Arnaldi Archiepiscopi, data anno 1338. de Basilicæ Divi Bartholomæi cōsecratione.

,, jus ineffabilis altitudo prudentiæ, recti censura iudi-
,, cij, cælestia paritèr, & terrena disponit, etsi cunctos
,, ejus ministros magnificet, & cælestis efficiat beatitu-
,, dinis possessores; illos tamèn, ut dignis digna repen-
,, dat, potioribus attollit insignibus dignitatum, & præ-
,, miorum ulteriori retributione prosequitur, quos di-
,, gniores agnoscit, & commendat ingentior excellentia
,, meritorum, sic & alma mater Ecclesia, ejusquæ fide-
,, les, sequendo ejus sancta vestigia, & exemplo lauda-
,, bili ducti, licèt vniversos in Regnis Cælestibus consti
,, tutos studiis honorare sollicitis, & sonoris efferre præ-
,, coniis non desistant, gloriosissimos tamèn Christianæ
,, fidei Principes, athletas Dei electos, justos sæculi judi-
,, ces, lumina vera mundi, videlicet, Christi Redem-
,, ptoris Apostolos numero duodeno contentos, qui ui-
,, ventes in carne prædictam Ecclesiam suo pretioso san-
,, guine plantaverũt, ipsam erigendo sublimitèr, & disci-
,, plinis sanctissimis dirigẽdo, laudibus personare preci-
,, puis, & specialibus honoribus disposuerunt, & consue-
,, uerunt, prout tenentur, specialiùs venerari. In quorum
,, consortio, & numero gloriosus Bartholomæus Aposto-
,, lus, cujus Corpus sãctissimum in hac Beneventana Ci-
,, vitate quiescit, suis exigentibus meritis Divina dispo-
,, sitione extitit aggregatus, & demùm post ejus vitam
,, sanctissimam, & Angelicam, & recolendam passionem
,, ipsius longi curricula temporis in translatione ipsius
,, pretiosi Corporis miraculosa à Lipari Beneventum.
,, Tunc in eius jucundo introitu ad Civitatem ejusdem,
,, Principes, Antistites, Clerus, & Populus, & condecens
,, tabernaculũ sibi construere, in quo recondereretur Cor-
,, pus ipsius, & alias spirituales, & temporales subjectio-
,, nes devotas, & honorificentias permiserunt. Et licèt
,, ad recipiendum, & collocandum condignè tàm pretio-
,, sissimum Corpus, nec nos, nec Clerus, vel Popu-
,, lus Civitatis ipsius sumus, vel fuerimus sufficientes,
,, aut digni; studuit tamen eadem Civitas totis conati-
,, bus, Divina semper auxiliante clementia, sub vocabu-
,, lo ejusdem Apostoli erigere Basilicam, seù tabernacu-

,, lum

„ lum, utcumque sicut apparet spatiosum, & pulchrum.
„ Et quià Corpus ipsius gloriosum extrà tabernaculum
„ ipsum post eius miraculosam translationem prędictam
„ in loco minùs decenti posuit; tamen nunc, proùt meli-
„ ùs potuit, extitit collocatum. Nos sollicitè, dignèque
„ considerantes, & debita perlustrantes meditatione ad
„ divini nominis, ejusdemque Apostoli gloriam, & ho-
„ norem, & quantum nobis possibile fuit, in loco magis
„ congruo, & electo, ejusdem tabernaculi Capellam
„ quantum scivimus, pro eodem pretioso Corpore col-
„ locando, & recondendo in quadam Capsa procurata,
„ & excogitata diutiùs pro causa memoriali perenni, pe-
„ tita tamen, & obtenta priùs licentia de translatione,
„ seù mutatione huiusmodi facienda à Sanctissimo in
„ Christo Patre, & Domino, D. Benedicto divina pro-
„ videntia PP. XII. qui in hujusmodi translatione, seú
„ festo Apostoli supradicti devotè venientibus ad Eccle-
„ siam ipsam unum annum, & quadraginta dies de in-
„ dulgentia annis singulis gratiosè concessit per suas li-
„ teras speciales. Verum quia condecens est, & æquum,
„ ut tàm Sanctissimi Corpus Apostoli recondatur, & per-
„ maneat in loco sacrato, tàm ipsam Basilicam, seù ta-
„ bernaculum, quàm eandem Capellam, seù locum, ubi
„ Corpus ejusdem Apostoli recondi, & manere debet,
„ quod hodierna die sub testimonio Dominorum Episco-
„ porum Beneventanæ Provinciæ publicarum, & alia-
„ rum innumerabilium personarum inventum est, &
„ ostensum, cum reverentia debita transtulimus, & re-
„ condimus de licentia Domini Summi Pontificis su-
„ pradicti, priùs pro dicti Apostoli reverentia, & hono-
„ re mandavimus, & fecimus cum solemnitate debita
„ consecrari. Et ut tantę solemnitatis translationis, vi-
„ delicet Corporis ejusdem Apostoli, & consecrationis
„ ipsius Basilicæ, & præter quotidianam memoriam fe-
„ sti ejus, quam de ipso generalitèr faciunt Ecclesiæ, &
„ fideles solemnitèr, & specialitèr annuatìm memoria
„ celebretur, & devotæ turbæ fidelium, tàm in die prę-
„ senti, quàm aliis diebus subscriptis ad eandem Eccle-

De Sacri Corporis S. Bartholomæi coram Provincialibus Episcopis recognitione.

De Basilicæ cōsecratione, & Sacri Corporis translatione.

siam

„ ſiam, & Corpus ejuſdem Apoſtoli viſitandum affectu-
„ osè concurrant, & ad Chriſti ſervitium inflammentur.
„ Nos Chriſtifideles ad viſitandum tàm pretioſum Cor-
„ pus, Capellam, & Eccleſiam ejuſdem, donis volentes
„ ſpecialibus frui, & in futurum etiam animare: De Om-
„ nipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Apoſtolorum
„ Petri & Pauli, atq; Bartholomæi meritis ea authoritate
„ confiſi omnibus Chriſti fidelibus verè pænitentibus, &
„ confeſſis, qui huiuſmodi conſecrationi Eccleſiæ, &
„ Capellæ factæ de noſtro mandato, ac præſentibus no-
„ bis, & tantis Venerabilibus Patribus Dominis Epi-
„ ſcopis Beneventanæ Provinciæ, & ad hoc eorum con-
„ ſenſum, & auctoritatem, ac indulgentiam, quam pô-
„ terant concedentibus, & ipſa die eandem Eccleſiam, &
„ Capellam devotè curaverint viſitare, unum annum, &
„ quadraginta dies pro conſecratione ejuſdem Eccleſiæ
„ tantundèm proût meliùs poſſumus, pro ejuſdem Ca-
„ pellæ conſecratione dictam indulgentiam vnius anni,
„ & quadraginta dierum conceſſam, ut ſupra dicitur per
„ Apoſtolicam ſedem, ob reverentiam ejuſdem Tran-
„ slationis, & Feſti, ultrà alias indulgentias per Apoſto-
„ licam ſedem, vel Legatos ipſius, aut Beneventanos
„ Antiſtites, vel Pontifices, alias olim conceſſas de in-
„ junctis eis pænitentiis miſericorditèr in Domino rela-
„ xamus; & omnibus Chriſti fidelibus verè pænitenti-
„ bus, & confeſſis, qui anno quolibet in eodem die, &
„ feſto B. Bartholomæi Apoſtoli, & qui in feſtivitatibus
„ ſolemnibus omnibus Domini Ieſu Chriſti, B. Mariæ
„ Virginis Matris ejus, Beatorum Apoſtolorum omniũ,
„ & præcipuè dicti Apoſtoli Patroni noſtri, ſinguliſque
„ diebus Dominicis, Lunæ, & Veneris anni cujuslibet in
„ futurum dictam Eccleſiam B. Bartholomæi Apoſtoli,
„ aut Capellam, in qua Venerabile Corpus hodiè eſt
„ translatum, devotè curaverint viſitare, ultrà alias in-
„ dulgentias ſupradictas, tàm per prædictum Dominum
„ Summum Pontificem, ratione dictæ translationis, & fe-
„ ſti ejuſdem Apoſtoli, quàm per Nos, & alios Dominos
„ Epiſcopos Beneventanæ Provinciæ, ut à jure ratione
„ dictæ

,, dictæ consecrationis, seu consecrationum concessas in ,, die festo quolibet prædictorum quadraginta dies de ,, injunctis eis pænitentiis misericorditèr in Domino re- ,, laxamus. In quorum testimonium, & certitudinem ,, singulorum præsentes nostras Patentes exindè fieri ,, mandavimus, & nostri sigilli appensione muniri. Dat. ,, Beneventi die XXV. mensis Augusti VI. Indictionis, ,, anno Dom. MCCCXXXVIII. Pontificatus prædicti ,, Summi Pontificis Domini Benedicti divina providen- ,, tia PP. XII. anno quarto.

Trāslatio habita ab Archiep. Foppa XI. Junii 1672 à Sacello in capite Chori ad novā confessionem.

VII. Sacrum itaquè Corpus in arcula marmorea, quam in majori arca ærea Arnaldus composuit, in peculiari sacello, quod erat in capite Chori Basilicæ prædictæ reconditum, crateque ferrea tribus clavibus munica custoditum extitit usque ad annum 1672. quo anno die XI. Junii rec: mem. Archiepiscopus Foppa prædecessor noster, arcam prædictam cum sacro Corpore, prout extabat transtulit, & sub stipite altaris martyrii, seu confessionis, quæ erat sub Ara maxima, ab ipsomet Archiepiscopo elegantissimè constructæ, reposuit, ut ex publico Instrumento per acta Notarii Josephi de Pompejo die, mense, & anno quibus suprà; ibidemque perseveravit usque ad diem septimum Februarii 1689.

Basilica terræmotu 5. Junii 1688. diruta Arca Sac. Corporis ruinas sustinet immunis.

VIII. Anno siquidem 1688. die 5. Junii terræmotu, ut prætulimus, antiqua Basilica dejecta, tota ruina in Confessionem præfatam incubuit, & in tantam ruderum crevit congeriem, ut usque ad diem septimum Februarii omnino eruderari non valuerit; quo die supra omnium spem Arca integra apparuit, & extracta est, omnibus præ lætitia collachrymātibus, & fore sperantibus, ut tanto fæderis signo inter Deū, & nos permanēte, Civitas denuò consurgeret, & immensis ęrumnis non impar subsidiū accederet.

Arca è ruinis eruta die 7. Februarii 1689.

IX. Die igitur 7. Februarii 1689. sacrum Depositum è ruinis levatum, & in Metropolitanam Ecclesiam, de nostro speciali mandato, translatum fuit, præsente Vicario nostro Generali, nostro Metropolitano Capitulo, Dignitatibus, & Canonicis nostri Collegii S. Bartholomæi, nec non Magistratu Civitatis, aliisque quam plurimis ex

ordine nobilium, & populo ferè innumero, coram quibus recognita fuit integra Arca sacri depositi ex ære cyprio longitudinis palmorum trium cum dimidio, & uno digito, latitudinis palmorum duorum, dempto quarto: altitudinis palmorum duorum cum dimidio; formaque arcæ oblonga, in summitate acuminata, & in parte anteriori figuris ex eodem metallo ornata, scilicèt figura Salvatoris intèr duos Angelos, candelabra manibus gestantes, inferiùs vero figura Divi *Bartholomæi* inter duos Angelos genuflexos, thuribula in manibus habentes; & in hac parte duabus seris ferreis muniebatur, nec aperiri poterat, quià claves non reperiebãtur. Ex parte verò posteriori ornata tribus Episcoporum infulatorum, & vestibus pontificalibus indutorũ figuris, quorum nomina tunc legi non poterant: similiter & Episcoporum duæ figuræ, singulæ in singulis lateribus: suprà arcam verò inventæ fuerunt duæ statuæ parvulæ, nempè B. Mariæ Virginis, & Divi Joannis ex eodem metallo cyprio; nec non duo flores cum pomis, & statuis parvulis ejusdem materiæ. Quæ quidem Arca, assistentibus omnibus præmemoratis processionali ritu cum interventu Confraternitatum, Cleri Urbani, Collegiorumque S. *Spiritus*, & S. Bartholomæi, ac nostro Metropolitano Capitulo cum intorticiis accensis, & populo propè innumero, deducta fuit in Metropolitanam Ecclesiam, & intrà altare marmoreum ad hoc destinatum in capite quintæ navis ad ipsius Ecclesię dexterã, ad sinistram vero ingredientis positum, & propriè quod turrim respicit campanariam, inclusa fuit per modũ provisionis, & nõ aliter &c., quod altare fuit undequaquè fabrica munitum, itaùt Arca prædicta minimè amoveri posset, nisi amoto altari, ut clariùs legitur ex publico Instrumento rogato Notario Canonico Martio Lizza dicto die 7. Februarii 1689.

Recognoscitur. Invenitur integra.

Describitur.

Processionalitèr ad Metropolitanam defertur.

In Altari marmoreo per modũ provisionis reponitur.

X. Quoniam verò hoc, sacro Corpori, ut ità dicamus, datum hospitium, longiùs quam vellemus protrahendum erat, ipsum altare marmoreum in nobiliorem formam construendum mandavimus; cujus rei gratia necesse fuit arcam ipsam removeri, ac decenti loco pe-

Pro altaris decentiori aptatione arca ærea extrahitur die 1. Augusti 1691.

ali-

aliquot dies conservari; Quocirca die prima Mensis Augusti 1691. Dignitatibus, & Canonicis Sacræ Basilicæ S. Bartholomæi instantibus, coram Vicario nostro Generali, quibusdam Ecclesiæ Metropolitanæ Capitularibus, ipsisque Dignitatibus, & Canonicis præfatæ Basilicæ, Magistratu Civitatis, aliisque nobilibus, remota fuit mensa lapidea, claudens stipitem prænominati Altaris, & quatuor Canonici Sacræ Basilicæ S. Bartholomæi canonicalibus insigniis induti, Arcam extraxere, & super mensam nuceam, holoserico ornatam, statim apposuerūt, præsentibus supradictis; ipsa autem capsa illicò observata, compertum fuit, quod duæ seræ ferreæ, quæ Arcam muniebant, & aperiri non poterant sine clavibus, quæ desiderabantur, è suo loco in quo fixæ extabant, erant sejunctæ: & peritorum consilio statim adhibito, sententia fuit, quod paruuli clavi, ipsas seras configentes, temporis antiquitate, & ærugine corrosi, ob varios motus terræ, & ruinæ, nec non aperitionis altaris martyrii, & hujus secundi altaris, ubi Arca loco depositi asservabatur, defecerint. Cum verò ex tali eventu ipsa Arca ex ære cyprio ampliùs munita non remaneret, per nostrum Vicarium Generalem mādatū fuit interiùs observari; qua aperta, visum, & compertum fuit in eadem extare aliam antiquissimam Capsulam, seù Arculam marmoream parum acuminatam, & circumcirca ab omnibus quatuor lateribus marmoreis incisam liliis. Arcula verò prædicta erat altitudinis palmi unius, & unius unciæ: longitudinis similitèr palmi unius, & unciarum trium cum dimidio: latitudinis verò unciarum decem, alligata chordulis parvi fili cannabis agglomeratis, pluribus in partibus cursu temporis consumptis, & supèr eisdem chordulis, scilicèt in capite sigilla quinque in cera hispanica, nempè tria magna, & duo parva, nec non alia duo parva sigilla supra eandem per modum crucis, & circumcirca alia sigilla tria magna cum effigie B. Mariæ Virginis, & Archiepiscopi pro tempore cum parva mitra, in quorum uno observatum fuit adesse quādam Aquilam impressam, cætera verò non poterant cognosci

Seræ ferreæ observātur sejunctæ ex defectu clavorū ærugine corrosorum.

Arca ærea sic aperta observatur interiùs, & conspicitur altera arcula, minor marmorea, chordulis etiā corrosis, & sigillis munita.

Describitur,

ob temporis vetustatem. His peractis, arca ex ære cypri o fuit denuò clausa, & tribus in partibus alligata, in medio scilicet, & à duabus extremitatibus tribus vittis sericis albi, rubri, & nigri coloris, & supèr nodis sigillata tribus parvis sigillis in cera hispanica, nempè in medio sigillo nostri Vicarii, à latere dextero sigillo nostri Capituli, à sinistro Cõmunitatis, quæ Arca sic obsignata statìm recondita fuit in quadam capsa nucea, tribus munita clavibus, nempè una, qua Vicarius noster clausit, & penès dilectum filium P riorem Collegii S. Bartholomæi deposuit: altera, qua Bibliothecarius nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ clausit, tertia, qua & ipse clausit Primus ex Civitatis Consulibus. Hæc itaque capsa sic munita, ad modum altaris cum candelabris, & lampadibus aptata fuit, & publicæ venerationi exposita in prima Capella dictæ quintæ navis, dies, & noctes custodita per Dignitates, & Canonicos dictæ Sacræ Basilicæ Divi Bartholomæi, prout latiùs ex publico Instrumento rogato eodem Notario Canonico Lizza die prima Augusti 1691.

Arca ærea vittis sericis & sigillis munitur.

Obsignata reponitur in capsa nucea sub clavibus.

XI. Die verò nona ejusdem mensis Augusti, cum Altare prædictum elegantiùs constructum fuisset nostris sumptibus, idem noster Vicarius Generalis, præsentibus nonnullis ex nostro Metropolitano Capitulo, & Canonicis Divi Bartholomæi, facto accessu ad Cathedralem, mandavit diligẽter observari dictam capsam nuceam, & invẽta fuit benè clausa; aperta deindè per supra memoratos, qui claves custodierunt, visa, & reperta fuit capsa ex ære cyprio, ut prætulimus, obsignata, & suis sigillis munita: quæ rursùm pro majori custodia ferreis filis, iisque duplicatis munita fuit in medio, & in duabus extremitatibus, supèr quibus tres facti fuerunt nodi ex ipso ferro, & in unoquoque nodo, impositum fuit plumbeum sigillum, vz. in medio sigillum nostrum, à latere dextero nostri Capituli, & à sinistro Communitatis, & ipsa tria sigilla conglutinata fuerunt stamno, ne arca de cætero ampliùs aperiretur, & sic denuò recondita fuit in altari novitèr constructo in capite quintæ navis, ubi priùs; & mensa ita firmata, ut nullo modo abstrahi posset, pro-

Capsa ærea rursus in altari reponenda filis ferreis munitur.

Adduntur sigilla Archiepiscopi, Capituli, & communitatis : Hęc duo perperam.

Reponitur in Altari.

prout latiùs ex publico Instrumento rogato præfato Notario Canonico Lizza dicta nona die mẽsis Augusti 1691.

XII. Cum autèm hæc fierent nos Romæ degebamus, ubi de prædictis certiores facti, mandavimus attentatum de sigillis, aliis quàm nostris, removeri; quocircà Reverendiss. P. Dominus Pompejus Sarnellius Episcopus Vigiliensis, tùnc noster Generalis Auditor, vocatis, & præsentibus Capitularibus, & Consulibus Civitatis, amota mensa, amoveri, & deleri fecit alia sigilla, & loco illorum nostrum itèm impressit, & altare rursùs clausum, & benè firmatum fuit, ut pleniùs ex Instrumento præfati Notarii Lizza sub die 4. mensis Septembris 1691.

Auferuntur sigilla indebitè apposita, & ultra Archiepiscopale plũbeum, alterũ in cera hispanica imprimitur die 4. Sep. 1691.

XIII. Ubi autèm nostra Civitas caput è ruinis extollere cæpit, intèr cætera cordis nostri desiderabilia, id intensis à Deo affectibus postulavimus, ut Ecclesia præfati Apostoli denuò erigeretur, & Deo dante primarium lapidem stato ritu imposuimus die 13. Martii 1692. Metropolitanam interim Ecclesiam restitutã, & ornatam solemni ritu dicavimus eodem anno die 26. Maii S. Philippi Nerii natalitio, cujus precibus quam vitam vivimus, acceptã referimus; Archiepiscopio quoquè à fundamentis erecto, Provinciale Concilium commodè celebravimus mense Aprili anni 1693. cum autèm omni studio, & contentione novæ Basilicæ opera duceretur, ad eum tandèm statum, & si non quem tanti Apostoli majestas, sed quem nostra valuit tenuitas, perducta est, ut divinis inibi officiis sedulò incumbatur, ideoque Sacratissimi Apostolici Corporis, in Metropolitana depositi locò asservati, restitutio ampliùs differenda visa non fuit.

Primarius lapis imponitur pro nova Basilica erigenda die 13. Martii 1692.

Metropolitanę Ecclesię cõsecratio die 26. Maii 1692.

Conciliũ Provinciale primum celebratur mense Aprili 1693.

Nova S. *Bartholomæi* Basilica ad fastigium perducitur.

XIV. Congregato igitur secundo Provinciali Concilio, Collegium nostrum S. Bartholomæi supplicitèr pro restitutione institit, ejusque petitioni Metropolitanum Capitulum nostrum, & Civitatis Magistratus adhæsere, porrecto supplici libello in prima Synodali Congregatione, habita die 2. Maii currentis anni. Placuitque Patribus, ut causa cognita procederetur; quocircà electi fuerunt in Ponentem Reverendissimus Pater Dominus Domini-

Secundũ Provinciale Conciliũ celebratur.

Collegium S. Bartholomæi supplicat Patribus pro sacri Corporis restitutione.

Dantur Ponens, Promotor, &c. ut causa cognita procedatur.

minicus Morelli Episcopus Lucerinus, & in Promotorem fiscalem Reverēdissimus Pater Dominus Michael Pitirrus Episcopus Thermulanus, in causæ notarium dilectus filius Rev. D. Canonicus Paduanus Sanctorius, qui servatis servandis procederent, & referrent. Ab ipsis itaquè compulsatæ fuerunt scripturæ antiquæ, & Bullæ Summorum Pontificum, & aliorum Notariorum copiæ extractæ; facta demùm de omnibus relatione in publica Congregatione Synodali coram omnibus Patribus infrascriptis, ex quibus tantum defuit, ægræ valetudinis causa, Reverēdissimus Pater Dominus Emilius de Cavaleriis Episcopus Trojanus eligens, citata parte, die X. Maii latum fuit decretum tenoris, qui sequitur:

Causa summatim refertur.

In causa vertente in secundo Sacro Concilio Provin-„ ciali inter MM. RR. DD. Dignitates, & Canonicos „ Collegii S. Bartholomæi Apostoli hujus Civitatis, & „ Reverendissimum Capitulum Metropolitanum, & „ Illustrissimum Magistratum, & Communitatem Ci-„ vitatis ejusdem illis adhærentes, actores ex una parte; „ & Illustrissimum, ac Reverendissimum Dominum „ Episcopum Thermulanum Promotorem Fiscalem, in „ præsenti causa deputatum, ex altera, de, & super re-„ stitutione petita sacri Corporis Divi Bartholomęi Apo-„ stoli, causa depositi, à memorata sacra Basilica ejusdem „ sancti, ob terræmotum anni 1688. funditùs collapsa, „ ad Ecclesiam Metropolitanam ejusdē Civitatis aspor-„ tati, & reconditi sub Altari S. Mariæ Majoris intùs „ ipsam Metropolitanam, & aliis, proùt ex actis, &c.

DecretumSynodale sub die X. mēsis Maii 1698.

Die X. mensis Maii 1698. In Congregatione publica „ Synodali habita in Aula Magna Archiepiscopii, inter-„ venientibus in ea Sanctissimis Patribus nempè Emi-„ nentissimo, & Reverendissimo in Christo Patre, & „ Domino, Domino Fr. Vincentio Maria Ordinis Præ-„ dic: Miserat. divina Tit. S. Sixti S. R. E. Presbytero „ Cardinali Vrsino S. Beneventanæ Ecclesiæ Archiepi-„ scopo Metropolita Præside, & Illustrissimis, & Re-„ verendissimis DD. Episcopis Comprovincialibus, hoc „ est: P. Cælestino de Labonia Episcopo Montis-Mara-

Nomina Patrum Cōprovincialium.

ni

„ ni : P. Iosepho de Lazara Episcopo Aliphano: P. Fran-
„ cisco Scanegata Episcopo Abellinensi , Frequentino ,
„ Aquæputridæ, seù Mirabelli, & Quintodecimi:P. An-
„ gelo Cerafo Episcopo Bibinensi: P. Francisco Antonio
„ Punzi Episcopo Asculano , & Hordonensi : P. Franci-
„ sco Antonio Jannone Episcopo Bujanensi, & Sæpinen-
„ si: P. Josepho Catalano Episcopo Larinensi: P. Domi-
„ nico Morelli Episcopo Lucerino , Florentino , & Tur-
„ tibulen: P. Michaele Pitirro Episcopo Thermulano :
„ P. Pompejo Sarnellio Episcopo Vigiliensi , ad votum
„ decisivum admisso,& vice Metropolitani CapituliAb-
„ batis Oppidi S. Lupi nullius : P. Francisco Protono-
„ bilissimo Episcopo Trivicano : P. Blasio Gammaro
„ Episcopo Thelesino : P. Hiacyntho de Calce Episcopo
„ Arianen : P. D. Vito Antonio PastoraleAbbate Gene-
„ rali Montis-virginis : M.R.D. Augustino Fantetta Vi-
„ cario Generali Oppidi Alberoni nullius , votum deci-
„ sivum habentibus;& procuratoribus Episcoporum ab-
„ sentium , hoc est M. R. D. Primicerio Jacobo Antonio
„ de Antonellis Procuratore P. Jacobi Circi Episcopi S.
„ Agathæ Gothorum,& Sessulæ.M. R .D. Antonio Ame-
„ rica Archipresbytero Oppidi Mottæ Procuratore P.
„ Dominici Surrentini Episcopi Vulturariensis,& Mon-
„ tis-Corbini : Ven. Presbytero Nicolao Scorza Procu-
„ ratore P. Caroli Felicis Matta Episcopi S. Severi , Ci-
„ vitatensis , & Dragonariensis : R. D. Jacobo Antonio
„ Canonico Florentino Procuratore P. Philippi de Cor-
„ duba Episcopi Guardiæ Alferiæ : nec non Adm. Re-
„ verendis Theologis Synodalibus,hoc est D.JoanneJor-
„ dano Protonotario Apostolico Canonico Abellinensi :
„ D. Michaele Ramomondi Prot. Apostolico Theologo
„ P. Episcopi Trojani : Patre Nicolao Squillante Con-
„ gregationis Oratorii : Patre Joanne Baptista Mongiò
„ Ord. S. Benedicti Congregationis Cælestinorum Prio-
„ re : Patre Magistro Fr. Joanne Baptista Spada Ursino ,
„ Exprovinciali Ord. Prædicatorum : P. Magistro Fr.
„ Joanne Michaele de Cavaleriis Ord. Prædicatorum :
„ Patre Magistro Fr. Petro Antonio Caballo Ord. Præ-
dica-

Ordinariorum inferiorum.

Procuratorũ Suffraganeorum absentiũ.

Theologorum Synodalium.

„ dicatorum: Patre Fr. Sebaſtiano Jaſcone Ord. Minorum „ S. Franciſci de obſervantia Exprovinciali, & Lectore „ jubilato: Patre Magiſtro Fr. Anſelmo Sabbatino Ex„ provinciali Ord. Min. Conventualium: Patre Magi„ ſtro Fr. Alberto Annubba Exprovinciali Ord. Carmeli„ tarum: Patre Fr. Hieronymo à S. Nicolao Exdiſſinito„ re Ord. Carmelitarum diſcalceatorum: Patre Domini„ co Viva Soc. Jeſu: Viſo libello porrecto per Oratores, „ viſis ſcripturis omnibus ad formam juris compulſatis, „ & extractis, viſa monitione facta ſuper expeditione „ cauſæ, referente P. Dominico Morelli Epiſcopo Luce„ rino cauſæ ponente: audito P. Michaele Pitirro Epi„ ſcopo Thermulano Promotore fiſcali, conſideratis, & „ rimatis omnibus in jure, & in facto conſiderandis, au„ ditiſque votis conſultivis, & concordibus ſupradicto„ rum RR. Theologorum, Sancta Synodus plenis votis, „ & nemine penitùs diſcrepante, decrevit, quod Sacrum „ Corpus Divi Bartholomæi Apoſtoli in Eccleſia Me„ tropolitana, depoſiti cauſa, aſportatum anno Domini „ 1689. die 7. Februarii, prout ex publicis Inſtrumen„ tis in actis &c. elevetur ab Altari S. Mariæ Majoris, ſub „ quo reconditur, canonicè recognoſcatur, deindè re„ ponatur in tutiori Urna, & tandem ſtato ritu, Sacræ „ Baſilicæ, in honorem ejuſdem ſancti erectæ, reſtituatur „ & pro effectu prædicto cætera alia fiant juxtà Sacros „ Canones, ſacroſque ritus, & Eccleſiaſticas Cæremo„ nias in his præſcripta, & ita &c. omni &c. Ita Ego Fr. „ Vincentius Maria Card. Archiepiſcopus Metropolita „ de conſenſu, & aſſenſu Reverēdiſſimorum Dominorum „ Coepiſcoporum meorum pronunciavi, & diffinitivè „ ſententiavi. P. Can. Sanctorius Curiæ Archiepiſcopa„ lis Cancellarius, & cauſæ Not. dep.

Decernitur quod fac: Corpus elevetur, recognoſcatur reponatur, reſtituatur.

Acceſſus pro elevatione fac: Corporis S. Bartholomæi die XI. Maii.

XV. Pro cuius Decreti executione, XI. Maii die Dominico, una cum Dominis Epiſcopis enunciatis, quibus acceſſit Reverendiſſimus Dom. Carolus Cutillo Epiſcopus Minoren, qui ad Concilij functiones honeſtandas aduenerat, nec non Procuratoribus quatuor Dominorum Epiſcoporum abſentium, Capitulo noſtræ

Me-

Metropolitanæ, Collegio S. Bartholomæi, Theologisque enumeratis, itemque Domino Gubernatore, & Magistratu, una cum Notarijs Cōcilii, de quibus infrà, & testibus specialitèr vocatis, accessimus ad Metropolitanā Ecclesiam, & propriè ad Altare sub titulo S. Mariæ Majoris, in quo Corpus S. Bartholomæi Apostoli pro deposito reconditum extabat, prout ex publicis Instrumentis jam relatis, rogato Notario Canonico Lizza sub diebus 7. Februarii 1689: prima, & nona Augusti 1691. & 4. Septembris ejusdem anni, & ante ipsum Altare una cum eisdem Dominis Episcopis, Dignitatibus, & Canonicis, Domino Joanne de Effectibus Utriusque Signaturę Referendario Gubernatore, & Magistratu, suis locis adstantibus, septem Psalmos pænitentiales recitavimus; quibus absolutis, cum supradictis omnibus ad secretarium processionalitèr accessimus, ubi Nos, & Domini Episcopi Bibinen., Thermularum, & Vigilien. pontificalitèr induti, ad memoratum Altare S. Mariæ Majoris eodem processionali ritu reversi fuimus, & debitis persolutis Orationibus, assistentibus nobis Dominis Episcopis Lucerino Ponente, & Thermulano Promotore fiscali, Altare à peritis fabris recognitum fuit, & integrum omninò inventum; qua recognitione peracta, Nos, assumpto scalpello, aperitionem inchoavimus, & deindè de nostro mandato fabri prosecuti sunt. Aperto Altari, compertisque omnibus, prout in relatis Instrumētis descripta erāt, apparuit Capsa ærea Sacrum continens Depositum, quam quatuor ex Māsionariis nostris extraxere, ex quorum manibus Nos, & Domini Episcopi Bibinen, Thermularum, & Vigilien accepimus, illamque super mensam extrà cancellos paratam, & ornatā apposuimus. Domini interim Ponens, & Promotor Fiscalis Capsam eandē recognoverunt, & omnia adamussim invenerunt, prout in Instrumentis usq; ad diem 4. Septembris 1691. Facta igitùr omnium, & singulorum recognitione, Arca ærea aperta fuit, & in ea inventum Velum temporis vetustate denigratū, quod erat ex gossipio, & in extremis filo aureo contextum, quodque fortassis Arculam marmo-

Orationes elevationi præmittuntur.

Post Orationes accessus ad secretariū pro Sacris vestibus.

Regressus ad altare.

Recognitio altaris, & aperitio.

Elevatio Capsæ æreæ, illiusq; recognitio.

Aperitio capsæ æreæ. Invenitur in ea velum, & describitur.

Itèm moneta, quę paritèr describitur.

ream contegebat. Moneta insuper argentea ibidem erat formæ rotundæ, magnitudine Romanum Julium adæquans, cum Imagine ex una parte Regis cum sceptro liliato in dextera, & Orbe in sinistra, leonibus duobus insidentis, & cum inscriptione - *Karolus Dei gratia Hierusalem, & Sicilia Rex*-& ex altera cum imagine S.Crucis liliis circumquaq; ornata, & inscriptione - *Honor Regis judicium diligit* - Inde deventum est ad recognitionem Arculæ marmoreæ, & inventam clausam cum suis chordulis, & sigillis iuxtà descriptionem in relatis Instrumentis factam, sic clausam, ut erat, manibus nostris elevavimus, & super feretro, holoserico ornato, imposuimus, alligantes eam vittis, ad hoc in eodem feretro appositis, Clero interim canente psalmos, & processionali ritu cum DD. Episcopis, cæterisque prædictis incedente, Nos, Dominique Episcopi Bibinen, Thermularum, & Vigilien, feretrum humeris nostris ad secretarium detulimus, & hic supra mensam mappis, & sericis ornatam Capsulam ipsam deposuimus, & solvimus: Deinde nobis ad nostram sedem accedentibus, tres Domini Episcopi paramenta pontificalia exuerunt. Nos deinde de nostra sede descendentes, & ad prædictam mensam accedentes, deposita mitra, inchoavimus Hymnū *Veni Creator Spiritus*; quo persoluto, videntibus omnibus Patribus, aliisque enumeratis, Capsulæ operculum elevavimus, & statim visa sunt sacra Ossa Corporis Divi Bartholomæi, supra quæ aderat lamina plumbea, mox describenda. Tunc quasi in mentis excessu præ thesauri inventi lætitia, vocem extollentes, exclamavimus potiùs quàm cantavimus Hymnum *Te Deum*: & dùm hymnus caneretur, thure imposito, & benedicto, sacra Lipsana nive candidiora, & lacte ipso nitidiora adolevimus, prout successivè fecerunt Episcopi omnes, Canonici, & reliqui Presbyteri, qui aderant. Absoluto hymno, versiculo, & Oratione pro actione gratiarum, reassumpta mitra, in faldistorio è regione adstantium sedentes, videntibus omnibus plumbeam laminam extraximus, in qua longobardis literis incisum erat: SCS BARTHOLOMEVS APLS: Qua remo-

Arcula marmorea recognoscitur.

Elevatur.

Ad Secretarium defertur.

Capsula marmorea aperitur. Sacra ossa apparent.

Thurificantur ab Archiepiscopo, Episcopis, Canonicis, & reliquis Presbyteris.

Duæ laminæ plumbeæ reperiuntur, altera altera antiquior.

remota sacra ossa singillatim elevare cæpimus, & statim apparuit altera lamina plumbea antiquissima, quam extraximus, & invenimus vetustate corrosam, & sua spuma, sivè ærugine coopertam; itaut tūc legi minimè posset; qua deinde expolita, in ea eædem literæ apparuerunt, quæ in recentiori lamina, sed charactere latino antiquissimo in hæc verba - SCS BARTHOLoMEUS A - nàm in extrema parte videbatur abrupta, prout revera extitit: alia etenim ossa elevantes, particulam ruptam invenimus, continentem alias literas: PST. Sacrorum itaque ossium elevationem prosequentes, computatis magnis, & parvis, invenimus usque ad numerum 585. præter innumera ossium fragmenta, quæ ob tenuitatem numerari nō potuere, & alia in pulverem redacta: quæ omnia pro decreta recognitione facienda supra papyros ad id aptatas exposuimus. Interim inventas laminas à peritis metallariis recognoscendas mandavimus, qui priorem, majoremque quadringentis ab hinc annis confectam, minorem vero septingentis annis longè antiquiorem, ex ipsius plumbi deficientia dixere. Capsam insuper æream observantes, quadringētis quoque ab hinc annis excusam retulerūt. Fabri deindè marmorarii, in sculptura marmorū periti, lapideam arculam inspicientes, dixerunt, septingentos annos excedere, prout sculptura illius, & lineæ quædam in fundo vetustate aperta, quæ non penetrat, ostendebant. Deindè peritos Anatomistas, de quorum peritia facti fuimus certiores, & qui ossium enumerationi interfuerunt, pro recognitione adamussim facienda juramento adstrinximus, & seriò monuimus. Quoniam verò nox imminebat, tempusque sacris Reliquijs minutatim discernendis minimè idoneum existimatum fuit; interim vasa vitrea ad hunc effectum parata, stato ritu benediximus, & in eisdem ossa omnia recondi fecimus, quibus vasa novem referta sunt. Quæ vasa suis operculis clausa, recondi jussimus in arcula serico elaborata, cum sua sera, & clavi: qua munita clavi, hæc penes Dominum Promotorem fiscalem remansit, & pro majori custodia capsulam eandem vittis sericis alligatam

Ossa elevata numerantur.

Recognitio antiquitatis laminarum plūbearū, capsæ æreæ, & arculæ lapideæ.

Periti anatomistæ pro recognitione ossium S. Bartholomæi juramento adstringuntur.

Benedicūtur novem Vasa, in quibus Sacra Ossa reponuntur: dilata ob noctem recognitione anatomica.

ſigillis noſtro, & Promotoris ejuſdem in conſpectu omnium obſignavimus: eandemque ſic obſignatam in tuto armario, quod eſt retro Altare dicti ſecretarij, ubi aliæ Reliquiæ in ſuis thecis aſſervantur, repoſuimus: hac quoque armarii clave penes Dominum Promotorem relicta, animo recognitionem continuandi, cæteraque faciendi, quæ executionem decreti lati die X. Maii concernunt. Quibus peractis, pontificales veſtes depoſuimus, & deinde ſuper faldiſtorio cum Patribus aliquantulum oravimus; qua oratione expleta, Patres ipſos comitèr dimiſimus, & Nos in ſecretario manſimus, ſacris vigiliis ſedulam operam cum Fratribus noſtri Ordinis dantes, quod & reliqui Regulares, prout ipſis præſcripſimus, ſucceſſivè perſolverunt: ut latius ex publico Inſtrumento rogatis tribus Concilii Notariis Apoſtolicis Paduano Canonico Sanctorio, Canonico Lizza, & Clerico Dominico Fontanella die XI. ejuſdem menſis Maij.

Vigiliæ ſupèr Sacris reliquiis inchoantur.

XVI. Subſequenti die, qui XII. fuit, inchoatam recognitionem proſecuturi, poſt Veſperas una cum præfatis Dominis Patribus comprovincialibus, quorum numerum ſubſequentes, qui honoris gratia acceſſerunt, auxere; nempè Timotheus Agnellini Archiepiſcopus Mardinen in Meſopotamia, Nicolaus Antonius Tura Epiſcopus Sarnen, Alphonſus Pacelli Epiſcopus Muranus, & enunciatus Carolus Cutillo Epiſcopus Minoren, unaquè cum duobus Ordinariis inferioribus enunciatis, abſentium Epiſcoporum quatuor Procuratoribus, Theologis Synodalibus, Gubernatore, & Magiſtratu, nec non Notariis, & teſtibus, ad ſecretarium acceſſimus, & ubi ſe quiſque ad ſua loca recepit, Nobis, Magiſtratus nomine, ſupplicitèr inſtatum fuit, quatenùs excitatæ populi pietati annuentes, ſacra Lipſana, etſi nondum in ſuis vaſis clauſa, & obſignata, eidem populo oſtenderentur. Hujusmodi inſtantiam Patribus propoſuimus, qui, devoti populi fervore moti, reſponderunt, eſſe annuendum, placuitque pro hac die petitam oſtenſionem fieri, decretam verò recognitionis proſecutionem, cum tempus non ſuppeteret, in craſtinum differẽdam. Sancitum inſuper fuit, ut

acceſſus adSecretarium cũ nonnullis Epiſcopis exteris, qui nupèr advenerant.

Metropolita proponit Patribus inſtantiam Magiſtratus, ut Populo Sacra lipſana oſtendãtur. Ità decernitur: dilata recognitionis proſecutione.

decretum quoque, ut recognitio fieret

ut præfata recognitio ad futuræ identitati consulendum adamussim fieret, & juxtà peritorum Anatomistarum sensum, omnia ossium, quæ discerni possent, nominà describerentur: cujus decreti executionem S. Synodus Nobis, Dominisque Episcopis Ponenti, & Promotori, cum facultate alios Episcopos in casu legitimi impedimenti, sive in aliqua Synodali actione occupationis, sustituendi; nec non, his executioni demandatis, Vasa, in quibus sacri Corporis ossa, sic discreta, & descripta, & cineres segregandi, recondenda erant, claudendi,& obsignandi. Quapropter ad petitam ostensionem debitò ritu faciendam, devenientes, pontificalia paramentà Nos,& tres alii Reverendissimi Domini Episcopi, videlicet Muranus, Bibinen, & Vigilien, suscepimus, & Capsulam novem Reliquiarum Sacri Corporis ampullas continentem, alligatam, & obsignatam ex assignato armario, quod est post altare secretarii, extractam,& recognitam, & à Domino Promotore rursùs apertam, post thurificationem, & cantica, & post prædictorum vasorum Patribus ostensionem, & in eadem repositionem, consueto feretro cum suo ornatu imposuimus, & Nos una cum tribus præfatis Episcopis eidem humeros supposuimus, & processionali ritu cum cantu ad Aram maximam detulimus, ibique rursus apertam thurificavimus; & pontificalem ambonem cum duobus Episcopis Murano, & Bibinen, relicto ad Aram Vigilien, & Thermulano, ascendimus; & habita ad populum homilia, ampullas singulas, ad nos delatas, eidem ostendimus, schedulas, quibus ampullæ inter se distin guebantur Episcopo Bibinen legente: duas quoque plumbeas laminas, cum sacro Corpore inventas, legimus, & monstravimus. Quibus persolutis, Ampullisque in sua Capsula, stato ritu, repositis, cantato hymno, *Te Deum*: capsulam clausã, eidemque feretro impositam, ordine, & modo, quo veneramus, in secretarium retulimus. Ubi super consueta mensa capsula collocata, Nos ad altare novam Urnam Porphyreticam pro sacro S. Bartholomæi corpore recondendo, Orationibus in Pontificali præscrip-

per propria nomina ossiũ discriminabilium.

datur initium ostensioni faciendæ.

Capsula ad Aram maximã defertur.

Homilia ad Populum.

ostensio Sac. Corporis facta Populo.

Sac: Corpus reponitur, clauditur capsula & iterum ad Secretarium defertur.

Benedictio Urnæ porphyreticæ.

Capsula obsi-

gnatur, & reponitur.

scriptis initiavimus; capsulã deinde in mensa repositam, alligatam, & sigillis coram omnibus munitam, in sæpe dicto armario reposuimus, bujus clavi Domino Promotori consignata. Sacris denique vestibus depositis, Patribusq; comiter dimissis, nocturnis excubiis supèr Corpore Apostolico persolvendis, una cum Religiosis viris designatis, incubuimus; prout latiùs in Instrumento confecto eodem die 12. Maii, rogatis Notariis eisdem.

Vigiliarum prosecutio.

Accesus adSecretarium pro recognitione anatomica.

XVII. Die verò 13. ejusdem mensis Maii hora decima circitèr, Nos una cum Reverendiss. DD. Dominico Morelli Episcopo Lucerino Ponente, Michaele Pitirro Episcopo Thermũlano Promotore, Alphonso Pacelli Episcopo Murano, & Fr. Vincentio de Magistris nostri Ordinis Prædic: Episcopo Cassanen, adhibitis etiam, & vocatis Patre Nicolao Squillante Congregationis Oratorii, & Patre Dominico Viva Soc: Jesu Theologis Synodalibus; nec non consuetis Notariis, & testibus, accessimus ad Secretarium nostræ Metropolitanæ, ubi vocati aderant dilecti filii Antonius Volpe, & Angelus de Auria artium, & medicinæ Doctores, testesque in anatomia periti, probati, & jurati, & continuando executionem decretorum nostri Sacri Provincialis Concilii, deventum fuit ad actum Canonicæ recognitionis, numerationis, & specificationis Anatomicæ ossium Corporis Divi Bartholomæi: Quocirca à Domino Promotore aperto Armario sæpè dicto post altare secretarii, extracta Capsula ejusq; clausura recognita, consuetis quoque orationibus recitatis, Periti in Anatomia rursùs in manibus nostris juramentum de fideliter se gerendo, & de veritate dicenda præstitere: super itaque mensa consueta, de capsula, ruptis sigillis, aperta, extractæ fuerunt ampullæ, in quibus sacra Pignora condebantur, & super eandem mensam expositæ, & coram Nobis, DD. Episcopis, & Theologis, Notariis, & testibus, prædicti in anatomia periti omnia ossa de ampullis extracta supra quasdam largas papyros in extremitatibus plicatas, & pro debita cautela, ne quid dilaberetur, elevatas, exposuere; & deindè manu tecta velis separaverunt ossa, illaque, illorumque partes, separata ada-

Recognitio sigillorum in Capsula.

Capsulæ apertitio.

Ossium recognitio, numeratio, & specificatio ab Anatomistis facta.

adamussim per nomina propria cujusque ossis, & cujuslibet partis ipsorum specificaverunt, & sic separata, & specificata reposuerunt in separatis ampullis, multaque alia ossium fragmenta, quæ ob exiguitatem neque numerari, neque specificari valuerunt, in præcipua ampulla posita sunt, quemadmodum & ipsorum ossium pulveres suam ampullam complevere. Inventa quoque sunt inter sacra Corporis lipsana nonnullæ piscium spinæ, lapilli, & tabularum ex abjete fragmenta, quibus ossa adhùc extare, prout in Insula Lipara collecta fuere, ostendebatur: una itaque ampulla piscium spinas, altera lapillos, & tabularum fragmenta recepit. Dum hæc agerentur, Nos, & Dom. Episcopi Lucerinus, & Thermulanus ad secretam Synodalem Congregationem vocati fuimus, & juxta datam substituendi facultatem, nostras vices Domino Murano Episcopo dedimus, Lucerinus verò sibi Dominum Episcopum Cassanen subrogavit; Thermulanus autèm Promotor huic suo ministerio Congregationem prædictam posthabuit: Congregatione Synodali absoluta, Nos, & Dom. Lucerinus Episcopus, cum Dom. Episcopo Trojano ad secretarium revertimus, & adhùc recognitionem facientibus astantes, specificationem, & nominationē diligentèr observavimus; qua peracta coram Nobis, aliisque prænominatis Episcopis, Anatomistæ distinctè supèr prædicta ossium specificatione per propria nomina, & separatione in novem ampullis, deposuerunt, asserendo insuper se juxta suum sensum, & peritiam cognovisse in eisdem ossibus adesse singulas partes totius corporis, exceptis humeris, sivè brachiis, claviculis, & Sterno. Præfata igitùr sacrorum ossium per propria nomina specificatio, & in novem ampullis facta separatio, hujusmodi est:

Inclusio Ossiū in ampullis.

Archiepiscopus, & Promotor vocati ad Cōgreg. Synodalem alios subrogant Episcopos.

Adsunt singulæ Corporis partes, prætèr brachiorum clavicularum, & sterni.

Catalogus Sac: Reliquiarum, juxtà peritiam anatomistarū.

In primo Vase figuræ sphæricæ altitudinis unciarum quatuor & semunciæ, diametri unciarum duarum, & dimidiæ. Bona pars Cranii. Decem ejusdem Cranii particulæ grandiores. Septemdecim ejusdem Cranii particulæ minores. Septem aliæ ejusdem Cranii particulæ exiguæ. Tres partes grandiores ossium organi auditus, appellatæ

Vas primum.

In-

Incus, Orbiculare, & Stapes. Duę partes minores ex malleo. Septem Dentes cum dimidio, idest duo molares, unus caninus, quatuor incisorii integri, & unus dimidius. *In secundo Vase* figuræ sphæricæ altitudinis unciarum quinq; diametri unciarum trium. Duæ partes grandiores vertebrarum lumborum. Novem aliæ earundem vertebrarum particulæ minores. Pars vertebræ colli. Novem particulæ spathulæ. *In tertio Vase* figuræ sphericæ altitudinis unciarum octo, diametri quatuor. Septem partes capitum articulorum. Decem aliæ particulæ eorundem. Septem, & viginti particulæ ossis innominati. Grande os femoris ultra dimidium palmum. Tria alia femoris ossa paulò minora. Novem partes femoris item grandes. Viginti partes femoris minores. Centum sexaginta particulæ ossium femoris, & Tibiæ. Grande os anterius Tibiæ. Sex aliæ partes ejusdem Tibiæ item grandes. Particula Suræ, & propriè caput, quod facit malleolum exterius integrum. Pars cubiti. Duæ bonæ partes Radii. Alia pars ejusdem Radii minor. Particula articuli Cubiti. Decem Capita diversorum articulorum grandium. Quindecim articulorum particulæ. Quatuordecim Suræ particulæ. Quinque & quinquaginta particulæ tibiæ. Octo particulæ ossis Ulnæ. Quatuor minores particulæ ejusdem ossis. Tres particulæ Patellæ genu. *In quarto Vase* figuræ sphæricæ, altitudinis unciarum quinque, & dimidiæ, diametri unciarum trium. Novem partes Metacarpi, duæ majores, reliquæ minores. Octo integra Carpi ossa. Tria & viginti digitorum manuum ossa, alia integra, alia fracta. Sex Tarsi, seu pedis Ossa integra. Decem Metatarsi ossicula partim integra, partim fracta. Septem integri articuli ossium grandium digitorum pedum. Octo articuli minores digitorum pedum integri, & alii quatuor minutiores. Duodecim particulæ ossium Tarsi innominatæ. Os scapulæ. Septem partes diversarũ Costarum, duæ majores, reliquæ minores. Quinque partes Costarum cum vertebrarum portionibus. Duodecim aliæ Costarum particulæ minores. Viginti aliæ Costarum particulæ exiguæ. Quatuor & viginti

Vas secundũ.

Vas tertium.

Vas quartum.

ginti aliæ particulæ ossis indiscernibilis. *In quinto Vase* figuræ sphæricæ, altitudinis unciarũ octo, & dimidiæ, diametri quatuor. Innumerabiles, diversęque ossium particulæ, quæ ob exiguitatem specificari non valuerunt. *In sexto Vase* figuræ sphæricæ altitudinis unciarũ quinque, & trium diametri. Cineres, sive pulveres ossium. *In septimo Vase* figuræ sphæricæ, altitudinis unciarum quatuor, diametri vero trium. Os grandius Metacarpi integrum. *In octavo vase* figuræ sphæricæ altitudinis unciarum trium, diametri duarum. Decem particulæ spinarum piscium, quæ inter ipsa sacra ossa commixtæ repertæ sunt. *In nono Vase* figuræ sphæricæ altitudinis unciarum quinque, & trium diametri. Varia lapidum, & ligni fragmenta, quæ pariter inter sacra ossa inventa sunt permixta.

Vas quintum. Vas sextum. Vas septimũ. Vas octavũ. Vas Nonum.

Absoluta igitur specificatione, nominatione, & in singulis vasis repositione prædicta, prosequentes decreti executionem, quo ad vasorum præfatorum obsignationem, hoc pacto, in omnium conspectu, obsignavimus. Unumquodque Vas vitreum suas continens reliquias, ut prætulimus, suo operculo item vitreo clausum fuit, interposito gossipio, ut operculũ ipsum firmiùs adhæreret: deindè transmissæ fuerunt singulæ vittæ sericæ rubri coloris è singulis operculis ad singula ora ampullarum per duos annulos vitreos, tàm operculis, quàm ampullis hinc indè firmitèr inhærentes, quæ vittæ sic transmissæ suprà cujusquæ ampullæ opercula conversæ fuerunt, & in binos nodos firmitèr alligatæ, quibus nodis, cera hispanica illitis, sigillum nostrum parvulum inpressum fuit; singulis paritèr ampullis singulæ additæ fuerunt schedulæ papyraceæ, ossium continentes specificationem, donèc consimiles de pergameno sufficerentur. Qua obsignatione peracta, ampullæ sic obsignatæ in eadem capsula sæpè dicta repositæ fuerunt, & clausæ à D. Promotore Fiscali: ipsa vero capsa alligata, & duobus sigillis nostro, & Promotoris prædicti munita, in consueto armario custodita fuit clavi, quam ipse Promotor servabat. Prout latiùs in Instrumento rogatis prædicti Concilii Notariis

Sigillatio ampullarum.

Capsula ligatur, obsignatur, & reponitur.

D eodem

eodem die 13. currentis Maii.

2. Sessio Synodalis celebratur.

XVIII. Die verò 14. ejusdem mensis Maii habita fuit in nostra Metropolitana secunda Sessio Synodalis, intervenientibus Nobiscum Reverendissimis D. D. Comprovincialibus Episcopis jàm enumeratis, excepto P. Francisco Scanegata, qui ægræ valetudinis causa in Archiepiscopio se continebat, nec non aliis novem Reverendissimis D.D. Episcopis, qui honoris gratia ad Sessionem accesserant, videlicèt Timotheo Agnellini Archiepiscopo Mardinen in Mesopotamia, Francisco Vignola Episcopo Minerbinen, Nicolao-Antonio Thura Episcopo Sarnen, Alphonso Pacelli Episcopo Murano, Jo: Francisco de Laurentiis Episcopo Venusino, Fr. Marcello de Cavaleriis Ord. Prædic: Episcopo Gravinen, Fr. Vincentio de Magistris Ord. Prædic: Episcopo Cassanen, Carolo Cutillo Monacho Sancti Benedicti Congregationis Montis Virginis Episcopo Minoren, Josepho Schinosi Episcopo Casertano, nec non duobus Ordinariis inferioribus, Procuratoribus quatuor Episcoporum absentium, Theologis, aliisque in Concilio Congregatis. Cumque in ipsa Sessione, Synodi Secretarius ex Ambone decreta Synodalia usque ad Tit. VI. inclusivè legisset, de mandato nostro, addidit lectionem, solemnioremque publicationem Decreti super translatione sacri Corporis Divi Bartholomæi, lati in publica Congregatione Synodali habita die X. currentis mensis: quod ubi Patres, aliique, superiùs descripti audiere, iterùm alta voce dixerunt: *Deo gratias, qui dignatus est nobis concedere, ut videremus, & manibus contrectaremus Corpus Divi Bartholomæi, eo modo, quo nobis per sacras constitutiones, & publica documenta nuntiatum fuerat.* Legit insupèr Instrumentum elevationis dicti sacri Corporis, confectum die XI. currentis mensis, nec non alterum Ostensionis sacri Corporis elevati, factæ Patribus, & Populo, una cum decreto per ipsam Synodum lato: Ossa scilicèt numerari, recognosci, specificari, & describi per Anatomistas, & sigillari, sub rogitu diei XII. mensis ejusdem. Legit demùm, & publicavit Instrumentum nu-

Novem Episcoporum Synodalem consessum cohonestantium nomina.

Publicatio solemnis decreti lati sub die X. Maii.

Instrumenta sub diebus XI. XII. & XIII. Maii publicantur.

numerationis, recognitionis, & specificationis ossium per propria nomina per Anatomistas factæ, & inclusionis ejusdem Sacri Corporis in Vasis vitreis, & obsignationis eorundem sub rogitu diei 13. ejusdem mensis. Qua lectione, & publicatione peracta, Dominus ponens Sanctæ Synodo retulit, æquum, & congruum esse, ut præfatæ sacræ Reliquiæ sic selectę, & in suis vasis repositæ, & obsignatæ, tùm Dominis Episcopis, qui ad sacrum nostrum Consessum cohonestandum pro sua egregia pietate nupèr advenerant, tum innumeris fermè Christi fidelibus, qui è variis regionibus ad Sacrum Apostoli Corpus venerandum confluxerant, ut omnium religioni satisfieret, ostenderentur; cumque omnes responderent, *Placet*: mandavimus Sacrum Corpus è Secretario asportari, prout D. D. Episcopi Ponens, & Promotor, à pluribus Dignitatibus, & Canonicis nostræ Metropolitanæ comitati, recognito coram eisdem Armario, executi sunt, Capsulam Sacra Lipsana continētem suis ulnis ad Aram maximam processionali ritu, & cum canticis deferentes. Apertis interim Ecclesiæ Janus de nostro mandato, Ecclesia innumero pene populo repleta est. Capsulam deinde obsignatam, coram Patribus, cæterisque resignandam mandavimus; cumque Nos Ambonem nostrum ascenderimus, ipsi D. D. Episcopi Ponens, & Promotor Capsulam sic apertam ad Nos detulerunt in Ambonem, quæ ostensio ut potior fieret, mandauimus, ut Synodi à secretis de Ambone altero, qui è regione extat, Catalogum Reliquiarum recognitarum, & specificatarum cum propriis nominibus, per peritos Anatomistas factum, alta voce legeret: quo illum legente, Nos singulas Ampullas in catalogo designatas, & ab eo expressas è Capsula extrahentes ostendimus, ut erant, obsignatas populo, qui in lacrymas præ cordis lætitia erumpentes, ora, manusque in Cælum tendebant, Deo de tanto munere gratias agentes, beatissimique Apostoli patrocinio sese commendantes. Qua Religione moti proposuimus Patribus, si placeret, Os integrum Metacarpi in septimo vase inclusum, extra Urnam, in qua reliqua recondenda erant, ut confluentibus

Instat Ponens pro nova ostensione Sacr. reliquiarum:

Decretum Synodi annuentis.

Accessus ad Secretarium pro delatione Capsulæ, quæ defertur ad Aram maximam.

Aperitio Ecclesiæ:

Delatio capsulæ ad ambonem.

Lectio Catalogi Sac. Reliquiarum.

Ostensio earundem.

Decretū quod ampulla cum Osse Metacarpi servaretur extrà Urnā.

tibus devotis deinceps ostendi posset, asseruari: & Patres coniunctis animis, *ità fieri dixerunt.* Quibus peractis, de Ambone descendimus, Capsulam cum Reliquiarum vasculis reportantes ad Aram maximam, in qua, spectantibus omnibus, de more clausa, & obsignata, ab eisdem D. D. Episcopis eodem ritu, quo venerant cum canticis ad Secretarium delata, & in armario sæpe dicto sub Promotoris clavi reposita fuit, animo actionem continuandi, schedulasque de pergameno vasis affigendi, easdemque reponendi in Vrna porphyretica, ut prætulimus, jam benedicta. Omnibus deinde è Secretario ad Sacrum Confessum reversis, stato ritu Sessio absoluta fuit, prout fusiùs in Instrumento rogatis eisdem Concilii Notariis die 14. Maii.

Reportatio Capsulæ ad Aram maximam, & obsignatio.

Repositio ejusdem in armario Secretarii, & obseratio.

XIX. Eodem die 14. ejusdem mensis Maii ante Vesperas, Nos una cum enunciatis tribus, & viginti Reverendissimis D. D. Episcopis, cum quibus Nos numerum quatuor & viginti complebamus, nec non cum duobus Ordinariis inferioribus, quatuor absentium Episcoporum Procuratoribus, Theologis, Domino Gubernatore, & Magistratu, Anatomistis, Notariis Concilii, & testibus, ad Secretarium nostræ Metropolitanæ pro absolvenda canonica Sacrarum Reliquiarum Corporis S. Bartholomæi Apostoli recognitione cum schedularum de pergameno Vasis vitreis appositione accessimus, ibique oratione peracta, unusquisque ad sua loca se recepit, & Nos in nostra sede pontificalia paramenta accepimus, Capitulares suas sacras vestes induerunt. Nos igitur pontificaliter induti una cum D. D. Episcopis Ponente, & Promotore ad Secretarii Armarium sæpe memoratum adivimus, quo à D. Promotore, qui de mane clauserat, aperto, capsulam clausam, & duobus sigillis munitam, extraximus, & ostensam Patribus sic clausam, & munitam, super Secretarii altare collocavimus; & fractis sigillis, spectantibus omnibus, aperuimus, & vitrea vasa, quibus S. Bartholomæi Corpus condebatur extraximus, Canticis, & thurificatione de more adhibitis; tunc mandavimus in schedulis de pergameno summatim nomina

Accessus ad Secretarium pro absolvenda actione recognitionis factæ, & appositionis schedularum de pergameno in ampullis.

Extrahitur, Capsula Sac: Reliquiarum de Armario, ostenditur, & recognoscitur.

na

na Reliquiarum juxtà Anatomistarum sensum, & peritiam annotari, eisdemque vasis pro perenni memoria firmiter annecti. Ad hoc exequendum Patres D. D. Episcopos Ponentem, & Promotorem deputarunt. Proinde Nos cum Patribus,& Canonicis processionali ritu ad Chorum pro Vesperis solemnibus de Translatione canẽdis, accessimus. Interim præfati Episcopi Ponens, & Promotor deputati una cum Notariis Concilii, & testibus, ac Anatomistis remanserunt, coram quibus dilectus filius R. D. Canonicus Martius Lizza unus ex Notariis ad tenorem Catalogi per Anatomistas facti,& jam relati,schedulas de pergameno confecit,& Reliquiarum nomina, summatim tamen, ut mandavimus, in eis exaravit, & singulas singulis vasis vitreis Gummi, quam Arabicam vocant, tenaciter agglutinavit.

Vesperæ solemnes de Translatione.

Exaratio schedularum.

appositio earũ in ampullarũ pectoribus.

Tenor autem schedularum est qui sequitur juxta Vasorum vitreorum ordinem,quem ita exhibemus,ut remoto septimo, in Vrna juxta decretum Synodalem non reponendo, huic translato numero, reliqui sequentes subrogentur, itaut octo deinceps in Vrna mox apponenda numerentur. In primo igitur Vase annexa de pergameno schedula hæc habet: *Numerus I. Ossa Cranii, & organi auditus, dentes molares duo, incisorii quinque cum dimidio S. Bartholomæi Apostoli, hic reposita die* 13. *mensis Maii* 1698. In 2. Vase schedula sic inscribitur: *Numerus II. Vertebræ, & spathula S. Bartholomæi Apostoli, hic reposita, die* 13. *mensis Maii* 1698: In 3. Vase hæc extat schedula sic inscripta: *Numerus III. Ossa articulorum femoris, Tibia, Sura, Vlna, Radii, Patellæ, & Os innominatum S. Bartholomæi Apostoli, hic reposita, die* 13. *Mensis Maii* 1698. In 4. Vase hæc legitur schedula: *Numerus IV. Ossa Carpi, Metacarpi, & digitorum manuum, Tarsi, Metatarsi, digitorum pedum, Costarum, & alia indiscriminabilia S. Bartholomæi Apostoli, bic reposita, die* 13. *mensis Maii* 1698. In 5. schedula hæc continet: *Numerus V. Fragmenta Ossium S. Bartholomæi Apostoli, hic reposita, die* 13. *mensis Maii* 1698. In 6. Vase schedula sic inscripta: *Numerus VI. Sacri pulveres*

Septima ampulla cum Osse Metacarpi non apponenda in Vrna,nõ numeratur in ordine.

Tenor Schedularum

In primo Vase.

In Secundo.

In Tertio.

In Quarto.

In Quinto.

In Sexto.

res Ossium S. Bartholomæi Apostoli, hic repositi, die 13. mensis Maii 1698. In 7. Vase apposita schedula sic habet: *Numerus VII. Spinæ piscium confusim repertæ cum sacris Lipsanis S. Bartholomæi Apostoli, hic repositæ, die 13. mensis Maii* 1698. In 8. Vase schedula sic legitur: *Numerus VIII. Particulæ lapidum, & lignorum confusim repertæ cum sacris Lipsanis S. Bartholomæi Apostoli, hic repositæ, die 13. mensis Maii* 1698.

In Septimo.

In Octavo.

Quod autèm in Catalogo septimum erat Vas, modò nonum, & extrà Vrnam, iuxtà enunciatum Patrum decretum asservandum, suam quoque habet schedulam annexam tenoris, qui sequitur: *Os magnum integrum Metacarpi S. Bartholomæi, hic repositum, die 13. mensis Maii* 1698.

Octo ampullæ includuntur in Vrna.

Absolutis Vesperis, Nos cum Patribus ad Secretarium reversi, octo Vasa, obsignata, & suis schedulis de pergameno, ut prætulimus, specificata, in Vrna porphyretica iam benedicta reposuimus, aptantes inter ea gossipium, ne, altero alterum urgente, frangerentur. Septimum verò Vas, modò nonum, in quo repositum est Os magnum Metacarpi extrà Vrnam relictum, obsignatum, & inscriptum ut erat, in sæpe dicto armario Sacrarum Reliquiarum Secretarii reponendum, servata forma sæpiùs repetiti Synodalis decreti, demandavimus, prout illud reposuit, & armarium clausit Dominus Episcopus Promotor, qui clavem tradidit Thesaurario Mariella Sacrarum Reliquiarum in hac nostra Metropolitana existentium Custodi. Vrnam verò porphyreticam octo prædicta continentem Vasa thurificavimus, & suo deindè clausimus operculo item porphyretico, quod Vasi ità coniungitur: Vasis labrum circulus ferreus circumdat, & de eo ad operculum tres radii item ferrei protenduntur, ejusdemque operculi fastigio clavis ferreis sinuosis, quos *vites* vocant, firmantur. Hoc tamen pacto Vrna nunc clausa non fuit, cum artifex nondum perfecisset tres laminas plumbeas, nunc paritèr in ea ad perpetuam huiuscè præsentis sacræ actionis memoriam reponendas, pollicitus tamen est ipsas in crastinum ante

Vas Metacarpi reponitur in Armario.

Ve-

Vesperas omninò absolutas exhibere. Tenor autem inscriptionis tribus laminis incidendæ hac die dictatæ est, qui sequitur.

Tenor inscriptionis in tribus novis laminis plumbeis.

Anno Domini MDCXCVIII. XI. Maii, Dominica die, Ego Fr. Vincentius Maria Ord. Predic. Miseratione Divina Tit. S. Sixti S. R. E. Presbyter Cardinalis Vrsinus, huius Sanctæ Metropolitanæ Ecclesiæ Archiepiscopus, in secunda mea Provinciali Synodo, de eiusdem Synodi mandato coram Patribus elevavi, & recognovi Corpus hoc S. Bartholomæi Apostoli, quod erat in Vrna lapidea, in qua inveni duas laminas plumbeas, alteram antiquissimam, & in extrema parte ruptam, his verbis: ✱ SCS. BARTHOLoMEVS APST. alterā item antiquam, priorem sic exprimentem: ✱ SCS BARTHOLOMEVS APLS. & Corpus ipsum reposui in Vasis vitreis VIII; & eadem Vasa die XIV. Maii collocavi in hac Vrna porphyretica, præsentibus Sanctissimis, & Reverendissimis Provinciæ Episcopis, nempè Fr. Cælestino Labonia Ord. Erem. S. Augustini Episcopo Montis-marani. Iosepho Lazara Clericorum Minorum Episcopo Aliphano. Francisco Scanegata Episcopo Abellinen, & Frequentino. Angelo Cerasio Episcopo Bibinen. Francisco Antonio Punzi Episcopo Asculano, & Hordonen. Francisco Antonio Giannone Episcopo Bojanen. Josepho Catalano Episcopo Larinen. Dominico Morelli Episcopo Lucerino. Michaele Pitirro Episcopo Thermulano. Pompejo Sarnellio Episcopo Vigilien ad votum decisivū admisso, & vice Metropolitani Capituli Abbatis Oppidi S. Lupi nullius. Francisco Protonobilissimo Episcopo Trivicano. Blasio Gambaro Episcopo Thelesino. Emilio Jacobo de Cavaleriis Episcopo Trojano eligente. Hiacyntho de Calce Clerico Regulari Episcopo Arianen. Ordinariis *P. Vito Antonio Pastorale Ord. S. Benedicti Congregationis Montis-virginis Abbate Generali nullius. Augustino Fantetta Vicario Alberoni nullius.* Sacras prædictas functiones honestantibus *Timotheo Agnellini Archiepiscopo Mardinen in Mesopotamia. Francisco Vignola Episcopo Minerbinen. Nicolao Antonio Thura Episcopo Sarnen. Alphonso Pacelli Episcopo Murano. Joanne Francisco de Laurentiis Episcopo Venusino.*

no. Fr. Marcello de Cavaleriis Ord. Prædic. Episcopo Gravinen. Fr. Vincentio de Magistris Ord. Prædc. Episcopo Cassanen. D. Carolo Cutillo Monacho S. Benedicti Congregationis Montis-virginis Episcopo Minoren. Josepho Schinosi Episcopo Casertano.

Vrna alligatur, & obsignatur.

Cum itaque, ut prætulimus, Artifex incisionem præfatæ Inscriptionis nondum absolvisset, Urna interim porphyretica alligata fuit vitta serica rubri coloris tàm circa labrum, quàm supra operculum, & obsignata tribus sigillis nostris in cera hispanica, suprà eandem vittam liquata impressis: Deinde cum Psalmis, & Canticis Urna sic obsignata imposita fuit feretro, ad hoc egregiè elaborato, flosculis sericis, quasi per areolas distributis, undequaque mirificè exornato, quod processionali ritu, Capitulo parato procedente, & Patribus, Nos, & DD Episcopi Montis-Marani, Muranen, & Bibinen, pontificalibus similitèr induti ad Aram maximã nostræ Metropolitanæ bajulavimus, Domino Gubernatore, & Magistratu cum intorticiis accensis subsequentibus. Ibi Urnam populo ostendimus, & publicæ adorationi cum thurificatione, & orationibus exposuimus. Demùm ordine, quo veneramus, ad Secretatium revertentes, inibi sacras vestes deposuimus, & brevi oratione ante secretarii altare persoluta, Patres comitèr dimisimus, Nosque ad Chorum reversi fuimus, sacris excubiis supèr sacro Apostoli Corpore initium daturi, invenimusque populum à prædicto nostro recessu B. Virginis Mariæ Psalterium, sivè Rosarium decantantem. Noctem interim verterunt in diem, Civitate universa innumeris luminibus illustrata, campanariis turribus frequentes festivos sonitus edentibus, populoque turmatim ad sacras confluente Vigilias. Actio verò præfata latiùs habetur in Instrumento rogatis tribus Concilii Notariis superiùs relatis die 14. currentis Maii post Vesperas.

Defertur super feretro elegantissimo ad Aram maximam.

Ostenditur Populo, & exponitur publicæ venerationi.

Regressus ad secretarium.

Dimissio Patrum.

Disponuntur Sacræ excubiæ.

Nox sicut dies illuminatur.

XX. Die tandèm 15. mensis ejusdem Nos una cum Reverendissimis DD. Episcopis Comprovincialibus, aliisque novem, qui ad honestandas sacras functiones advenerant, quorum nomina retulimus, quique nobiscum

quà-

quatuor, & viginti Pontificum numerum complebant, nec non cum duobus Ordinariis inferioribus, quatuor absentium Episcoporum suffraganeorum Procuratoribus, Theologis, & Decretalistis Synodalibus, Domino Gubernatore, & Magistratu, tribusque Notariis Concilii, & testibus rogatis, ac specialitèr vocatis, ad nostram Metropolitanam accessimus, ibique solemnes Vesperas solemni ritu decantavimus: & primo Psalmo inchoato, processioni solemni, ob magnum Confraternitatum quatuor, & quadraginta, nec non Cleri, ex universa pene Archidiœcesi, numerum, initium datum fuit. Absolutis Vesperis, Patres omnes Pontificalia, cæteri sua paramenta sibi convenientia induerunt, paratis jàm Canonicis pro assistentia Vesperis à nobis decãtatis præstita. Omnibus sic indutis, Antiphonam: *Cum gaudio exibitis*, præintonavimus, & imposito in thuribulis incenso, Urnam apud altare thurificavimus. Interim recognita, spectãtibus Patribus, Urna, Corpus Divi Apostoli continẽte, & reperta eisdem sigillis, quibus hesterna die munita fuerat, firmata, de nostro mandato, videntibus cũctis, fractis sigillis, rursùs aperta fuit, & in eadem pro perenni hujuscæ novæ translationis monimento priùs tres novas laminas plumbeas jàm absolutas cum inscriptione, quam supra retulimus, reposuimus. Sunt autem hæ tres laminæ in extrema parte conjũctæ vittis sericis rubri coloris perforamina immissis, quæ vittæ è duobus pendent lateribus, & super eisdem in cera hispanica impressa sunt novendecim ex tribus & viginti Episcopis præsentibus sigilla, nempè Montis-Marani, Aliphani, Abellinen, Bibinen, Asculani, Bojanen, Larinen, Lucerini, Thermulani, Vigilien, Thelesini, Trojani, Arianen, Minerbinen, Sarnen, Murani, Venusini, Gravinen, & Minoren, reliquorum verò quatuor Episcoporum, & duorum inferiorum Ordinariorum non fuerunt impressa, quia secum è suis residentiis sigilla non detulerant. In media vero predicta inferiore laminarum, sic conjunctarum, parte, est transmissa chordula serica rubri, & albi coloris, ex qua pendet nostra Archiepiscopalis consueta plumbea

Accessus ad Metropolitanã pro secũdis Vesperis.

Datur initiũ processioni solemni.

Recognitio sigillorum in Vrna.

Aperitio ejusdem.

Tres novæ laminæ plumbeæ reponuntur in Vrna junctæ inferius vittis sericis cum impressione sigillorum XIX. Episcoporũ.

Bullæ plumbeæ Archiepiscopalis appensio, & descriptio.

Bullà, habens ex una parte impressas Imagines capitum B. Mariæ Virginis à dextris, & S. Bartholomæi Apostoli à sinistris cum Cruce intermedia, & supra caput S. Mariæ adsunt literæ: S. M. hoc est: *S. Maria*: & supra caput Divi Bartholomæi extant literæ: S. B.: hoc est: *S. Bartholomæus*: Infra imagines incisus legitur annus 1698. Ex altera parte ejusdem plumbeæ Bullæ adest inscriptio: FR. VINC. MARIA ORD. PRÆD. CARD. URSINUS ARCHIEPUS BNVS: Insuper in eadem Urna reposuimus Numisma argenteum habens ex unaparte Imagines capitum *B.* Mariæ, & S. Bartholomæi, prout de plumbea retulimus, altera nostram habet Imaginem mitra, & pallio decoratam, cum eadem inscriptione in gyro: FR. VINC. MARIA ORD. PRÆD. CARD. URSINUS ARCHIEP. BNVS: subinde in eadem Urna duas laminas plumbeas cum ipso sacro Corpore in capsula marmorea repertas, & in primo Instrumento elevationis dicti Sacri Corporis confecto sub die XI currentis mensis descriptas, & exemplatas inclusimus: quarum laminarũ minorem, in extremitate ruptã, cum separata particula, involvimus schedula de pergameno nostra manu subscripta tenoris sequentis: *Lamina plũbea antiquissima fuit recognita à peritis juridicè examinatis, excedere annos septingentos XIV. Maii A. D. 1698. Fr. Vinc. Maria Card. Archiep.* Quibus sic repositis, aptato novo gossipio, ne quæ intrà Vrnam erant mutuo se urgerent, coram omnibus Patribus, ipsisque videntibus, Vrnæ impositum fuit operculum, & circa ejusdem Vrnæ labrum circulus ferreus appositus est, ex quo circulo tres radii ferrei protenduntur ad operculi fastigium, ut circa illud breviori ferreo circulo inhærentes firmentur, licèt nunc totalitèr firmati non fuerint; hujusmodi enim actus post hujus translationis processionem peragendus erat in Basilica Divi Bartholomæi in actuali consignatione prædictæ sacræ Vrnæ, & collocationis ipsius in Camera sub Ara maxima ejusdem Basilicæ. Interea Vrna sæpe dicta firmiter alligata fuit vitta serica, & postea super nobile feretrum jàm descriptum imposita, quod quippe feretrum cum sacra Vrna, donec fo-

Repositio numismatis argentei, eiusq; descriptio.

Duæ laminæ plumbeæ antiquæ reponuntur.

Lamina minor schedula de pergameno cũ Inscriptione inuoluitur.

Circuli, & radii ferrei apponuntur pro clausura facienda, & interim Vrna vittis alligatur, & feretro imponitur.

solemnis processio ad sacram Basilicam pervenit, semper humeris nostris dulce pondus incubuit, quod & alii tres Pontifices, qui feretrum nobiscum comportabant fecissent, nisi & aliis suas vices, & honoris, & pietatis gratia concessissent. Quod vero ad processionem attinet, methodus pro ejus directione impressa, ne hìc justo longiores simus, in actis hujus sacri Concilii exhibetur. Vbi verò Processio ad Sacram Basilicam, terminum ei designatum, pervenit, ad illius ingressum, hymno: *Te Deum*: decantato sacra tecta reboarunt: deposita igitur statis ritibus Vrna, exposita fuit super Aram maximam vario, & pretioso marmore, etiam in Camera pro Vrna ibidem recondenda, nempè intus, & foris elegantissimè nostris sumptibus, si non pro tanti Apostoli dignitate, pro nostra tamen tenuitate elaboratam. Postquam igitur & thurificationem, & orationes debitas exhibuimus, Populo solemniter benediximus, publicata per Archidiaconum nostrum Indulgentia plenaria à Sanctissimo Domino Innocentio Papa XII. concessa visitantibus hodie hanc novam Sancti Apostoli Basilicam. Subindè Nos in faldistorio super altare sedentes, oblationem intorticiorum à Magistratu, aliis nobilibus, & ab aliquibus de Clero foraneo pro servitio hujus sacri Altaris, in Sanctissimi Apostoli, reverentiam suscepimus. Quo facto, sacra Vrna, de nostro mandato, firmiter obserata fuit, apposito operculi fastigio ferreo circulo breviori, qui clausus fuit clavo ferreo sinuoso, quem uulgus *vitem* appellat, cui clavo caput incisum fuit: ad ipsum vero breviorem circulum reducti fuerunt tres radii ferrei è majore Vrnæ circulo, quo labrum circumdatur, protensi, & in eodem breviori circulo tribus consimilibus clavis affixi, quibus pariter clavis capita incisa fuerunt: & super quatuor prædicta incisionum vestigia cera hispanica infusa, quatuor nostra parva impressimus sigilla. Sic igitur dicta Vrna coram Patribus obserata, munita, & obsignata, Nos Patres eosdem ob tarditatem horæ comiter dimisimus, qui processionali ritu cum cæteris de Clero ad Secretarium nostræ Metropolitanæ pro Sacrarum vesti-

Bajulatio feretri cum Vrna ab Archiepiscopo incessanter, ab aliis Episcopis alternatim.

Ingressus processionis in novam Basilicã.

Depositio, & expositio Vrnæ, ejusque thurificatio.

Orationes, benedictio Populi, & publicatio Indulgentiæ plenariæ.

Receptio oblationum.

Vrna clauditur ferreis munimentis, & obsignatur.

Dimissio Patrum.

um

um dimiſſione receſſerunt. Nos vero cum DD. Epiſcopis Ponente, & Promotore, Canonicis hujus Sacræ Baſilicæ, Miniſtris, & Capellanis, nec non & Magiſtratu, remanſimus pro eadem Vrna ſic obſignata Dignitatibus, & Canonicis Collegii noſtri S. Bartholomæi conſignandæ; proutfecimus collocando propriis manibus, dictis DD. Epiſcopis aſſiſtentibus, ſacram Vrnam in Principis Aræ camera: Hæc autem Vrna eſt, ut ſæpè diximus, ex marmore porphyretico, ſtudioſiſſimè elaborata, altitudinis palmorum duorum, latitudinis per gyrum ductæ palmorum quatuor, & dimidii, valoris ducatorum ultra mille, elegantiſſimo opere pretioſitatem marmoris exæquante. Vrna itaque in dicti altaris camera collocata: eadem camera munita fuit crate ferrea in orbem ducta, & ex aurichalco exteriùs affabrè compoſita. Choro interim pſalmorum cantibus perſonante. Cumque in noſtra pontificali Sede in medio Chori ſediſſemus, DD. Epiſcopis, & Sacræ Baſilicæ Canonicis in eodem Choro conſidentibus, ad eoſdem Canonicos verba exhortationis, ut tantis muneribus digno ſervitio reſponderent, habuimus; mandantes eiſdem, ut in hujuſce ſacræ Translationis memoriam, infra bimeſtre inſcriptionem marmori inciſam, verba, in tribus laminis in Vrna porphyretica incluſis exarata, continentem, apponendam curarent: interim vero pro debita Deo gratiarum actione per octo dies continuos integrum Davidicum pſalterium in tribus diverſis horis diſtinctum, quotidie perſolverent. Peracto demum Sermone, ante Altare oravimus & proceſſionaliter cum DD. Epiſcopis Lucerino, & Thermulano, dictæque Sacræ Baſilicæ Canonicis, ad ejuſdem Secretarium acceſſimus, ubi, ſacris depoſitis veſtibus, huic terminum actioni impoſuimus.

Cõſignatio, & collocatio Vrnæ in Camera altaris Maioris.

Deſcriptio Vrnæ.

Camera munitur crate ferrea aurichalco obducta.

Exhortatio Archiepiſcopi ad Canonicos Sacræ Baſilicæ.

Marmorea inſcriptio apponenda mandatur.

Recitatio Pſalterii per octo dies imponitur.

Depoſitio Sacrarum veſtium.

Quibus ſic peractis ad perpetuam rei memoriam hanc noſtram paginam, petitionis, decreti, elevationis, recognitionis, oſtenſionis, repoſitionis, translationis, reſtitutionis, cõſignationis ſigillo noſtro ſub plumbo expediendam iuſſimus. *Reliquum eſt*, ut pro tam inſigni beneficio, omnes cum omni humilitate benedicamus, & glorifi-

Hortatur omnes ad Deum collaudandũ.

ce-


cemus eum, quem decet omnis benedictio, & gloria in secula seculorum. Confiteamur Domino in omnibus mirabilibus ejus, & cognoscat omnis caro, quoniam non defecerunt in diebus nostris miserationes ejus, qui quãvis peccatis nostris exigentibus, visitavit Nos in virga indignationis suæ, non tamen continuit in ira misericordias suas: lætati enim sumus pro diebus, quibus Nos humiliavit, annis, quibus vidimus mala, dum in afflictionibus nostris gloriosissimi Apostoli sui Bartholomæi omni laude dignissimi præsidio munit, ipsiusque meritorum, & intercessionum suffragiis protegit, ac defendit. Assiduis denique precibus ab eo postulemus, ut tanto Apostolo intercedente, à peccatis nostris faciem suam avertens, misereatur nostri, & respiciat Nos, ac immittat timorem suum super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut agnoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster. Dat. Beneventi in secunda nostra Provinciali Synodo Anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo, die vero XV. mensis Maii Indict. VI. Pontus nostri Beneventani Anno XIII. Ordinationis vero nostræ XXIV. Dat. XV. Maii 1698.


FR. VINC. MARIA CARD. ARCHIEP. METROPOLITA



Franc. A. Can. Finy Conc. Sec. *Julianus Bovicelli Presb. Conc. Sec.*


LASTRA DI PIOMBO DI CARATTERI LATINI, CH'E QUASI CALCIN
RITROVATA DI QUESTA FORMA, E GRANDEZZA COL SUO PEZZI
APOSTOLO NELLA RICOGNIZIONE, CHE NE FECE L'EMINENTIS
SINODO PROVINCIALE AGLI XI. DI MAGGIO *MDCXCVIII*, GIUDIC






ASTRA DI PIOMBO DI CARATTERI LONGOBARDI RIPIENI DI MISTU
DEZZA SU LE SAGRE RELIQUIE DEL CORPO DEL S. APOSTOLO SUD

TAODAL TEMPO, E ROPIA NELLA PUNTA DOPO IL SECONDO A, TTO DIVISO TRA LE SAGRE OSSA DEL CORPO DI S. BARTOLOMEO MO ARCIVESCOVO ORSINI CON TUTT' I PADRI DEL SUO SECONDO TA DA PERITI DI OLTRE A *DCC.* ANNI.





A ROSSA RITROVATA, COME SOPRA, DI QUESTA FORMA, E GRAN-TTO, GIUDICATA DA PERITI DI QUATTRO SECOLI ADDIETRO.